






2
6
77









2. 6. 77

Il volume è stato malamente ricomposto anteponendo la parte seconda alla parte prima

29/11/2001 [illegible]

TRACTATUS
DE JURE
DEVOLUTIONIS.

AUTHORE

CLARIS. AC AMPLIS. VIRO

D. PETRO STOCKMANS, J. U. D.

Olim in Academia Lovanienſi Legum Profeſſore,

Nuper in Supremo Brabantiæ Concilio, nunc in Sanctiore, Conſiliario Regio, & Libellorum ſupplicum Magiſtro.

Archivorum Brabanticorum Cuſtode, Juſtitiæ Militaris Supremo Præfecto.

Nec non ad Comitia Imperialia titulo Circuli Burgundici Ablegato.

Editio Secunda multò auctior.





BRUXELLIS,
Apud FRANCISCUM FOPPENS, ſub ſigno S. Spiritus.
M. DC. LXVII.
Cum Privilegio.

PROOEMIVM.

IUrisprudentiam multorum Camelorum onus esse nescio quis questus est olim: certè posterioribus sæculis in eam molem excrevit, ut vehendis Commentariis, Glossis & Tractatibus Juris, onerariæ aliquot naves vix sufficerent. Huic cumulo librorum detrahere aliquid, satiùs ac conducibiliùs foret Reipublicæ quàm adjicere, atque adeò si mei arbitrii res sit, exscindendum potiùs ex hac densa & squalida silva partem aliquam putarem, quàm nova Volumina cudendo in veterem lucum nova ligna ferre. Quid igitur causæ est quòd inter tot circumstrepentes occupationes animum induxerim hanc diatriben de Jure Devolutionis in publicum mittere?

Duplex perpulit occasio quæ hoc factum à communi querela eximat : prima quòd hoc argumentum licèt usu frequens à nemine quòd sciam, hactenus tractatum sit, sed in tenebris relictum, inter certamina fori locum sibi invenerit, in qua arena cùm jam frequenter de natura & proprietatibus Devolutionis certatum esset vario Marte, accidit tandem de tota controversia in Suprema Brabantiæ Feudali Curia plenariè disceptari; ubi quid actum, quid intellectum, quid decisum in eadem causa ante septennium fuerit, infrà Capite septimo repræsentatur. Quæ res judicata, aliis deindè decisionibus & usu roborata dubium non est quin Juris vigorem nunc obtineat, per leg. 1. Cod. quæ sit long. conf. *ne verò ejusdem memoria in posterum obliteretur, & in incertum omnia recidant, optimum visum est, & à Iudicibus omnibus tunc postulatum, ut actis vel publicæ notitiæ commenda=*

menda=

mendaretur exemplum pro præjudicio deinceps valiturum in universa materia devolutionis.

Altera scribendi causa fuit, quòd cùm nihil hodiè celebratius sit in ore hominum quàm Devolutio, etiam vulgo distribuente ex eodem Iure suprema Imperia seu Principatus, in quo tamen illud Ius consistat, & qui sint ejusdem effectus omnes peræquè ignorant, atque ita Andabatarum more in tenebris digladiantur, quas dissipare hoc Commentario ex parte volui.

Genus scriptionis assumendum fuit quale materia & occupationes scribentis tulerunt: materia tota ex usu forensi nata & introducta limatiùs sermonis genus respuit, occupationes verò scribenti tam densæ, ut omnem cogitationem studiorum intercipiant: videor enim mihi usurpare posse illud Plinii junio-

ris Proconſulis Ponti & Bythiniæ in Epi=ſtola ad Arium Clementem : Diſtringor officio moleſtiſſimo, ſedeo pro Tribunali, ſubnoto libellos, conficio tabulas, ſcribo plurimas, ſed illiteratiſſimas litteras, ſoleo nonnunquam de his occupationibus queri apud Philoſophum Euphratem, ille me conſolatur, affirmat eſſe hanc Philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere Iuſtitiam, quæque Philoſophi doceant in uſu habere.

Ab homine in eumdem modum diſtracto ſi quis conſummatum opus expectavit, non illud quod expectavit, ſed lineamenta operis ſeu Ichnographiam potiùs reperiet, cui ſuperſtrui juſtum opus aliquando poſſit

ab

ab aliquo eorum quibus plus otii & plus eruditionis est; atque interim sufficiet hîc designari quid circa præcipuos Devolutionis Articulos hodie usu observetur, quod inter officia Juris-Consulti haud postremum est, & sub nomine receptarum sententiarum, inter primas partes Juris olim habitum.

Nam Libros quinque ad Filium scripsit Paulus Juris-Consultus sub titulo receptarum sententiarum quos notis illustravit Cujacius, nec dissimili argumento Disputationum Libros edidit Ulpianus & alii quidam Juris-Consltiu atque eodem pertinent Quæstionum Libri à Scævola, Papiniano & Africano compositi, de iis scilicet rebus quæ in auditoriis Ius dicentium quæsita, disputata & decisa aliquando fuerunt. Cujusmodi exemplum exstat in l. lecta ff. de rebus

creditis, *atque ex ejusmodi quæsitis & disputatis nascebantur firmæ in Foro opiniones, quæ* receptarum sententiarum *nomen obtinuerunt.*

Particulares locorum Consuetudines quæ per Districtus & Oppida subindè variant & abeunt à generali Provinciæ Consuetudine, non attingimus quia id infinitum sit, contenti generalia fundamenta materiæ stabiliisse, uti in primaria Sede, atque in medio Provinciæ viget. Varietas porrò devolutionis procedit ex diversitate successionis in linea recta, nam successioni deservit devolutio, quæ non aliud agit quàm securitatem præstare futuræ Liberorum successioni in eum casum quo continget Liberos Parentibus superesse, & eorum bona obtinere, secundùm regulas successionis intestatæ.

Nihil moror eos qui dicturi sunt potuisse

tuisse multò plura ad hanc materiam perti-nentia, & diffusiùs pleniusque omnia tra-ctari: nam id facere si quis in animum in-duxerit, ejus proposito nihil officiet hæc præcursoria commentatio, sed viam potiùs a-periet, atque ita reposituri sumus illud Hora-tii:

—Si quid habes rectius istis
Candidus imperti, si non, his utere
mecum.

Sed non statim apud me rectiùs erit quod diffusiùs aut prolixiùs, qui non procul absum à Veterum sensu, qui dicebant mag-num Librum, magnum esse malum: sed amplectar si quis potuerit errorem aut igno-rantiam meam erudire, qui nihil humani à me alienum puto, & non ignoro sæpiùs cæteris falli Librorum Scriptores, quod & Galenus in multiloquio suo meritò pro-

fitetur,


ſitetur, qui ſcribit Lib. 2. περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους.

Χαλεπὸν, inquit, ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελεστέρως γράψαντα. *Id eſt*, Difficile eſt homo cum ſis, non labi ſeu peccare in multis, quædam quia omnino neſcias, alia quæ malè dijudices, aliqua cùm incurioſiùs ſcribas.

Ego verò non tantum in una ſpecie, ſed in his tribus errantium ordinibus & pluribus ſi velis, libens nomen profiteor meum.

ERRATA SIC CORRIGE.

FOlio 34. *linea* 1. concreditus, *lege* concredita. *Folio* 81. *lin.* 13. *post* esset, *adde* qualitas quædam & Jus, &c. *Folio* 93. *lin.* 15. *post* bona, *adde* hæredis immobiliaris, & denique ad devoluta. *Folio* 102. *lin.* 2. *post* alienationem, *lege* adventitiarum. *Folio* 133. *lin.* 16. acceptione, *lege* exceptione, *eodem folio lin.* 20. *post* neque, *adde* si Jurata sit Renuntiatio.



INDEX CAPITVM.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Devolutio Consuetudinaria.

SUMMARIUM.

1. *OCcasio scriptionis.*
2. *Devolutionis aliquot effectus, usque ad num.* 8.
9. *Definitio Devolutionis.*
10. *An recte dicatur* anticipata successio, *vel* inchoata successio.

CAPUT II.

Quibus in Regionibus & locis vigeat Jus Devolutionis.

SUMMARIUM.

1. *Omnia Feuda Brabantica subjecta sunt Devolutioni.*
2. *In Districtu Lovaniensi omnia immobilia subsunt juri Devolutionis.*
3. *Quid obtineat Bruxellæ & Antverpiæ circa Devolutionem.*
4. *Quid obtineat in territoriis vicinis Vckelensi, Santoviensi & Doornensi.*
5. *Quid item Sylvæducis, Lyræ, Trajecti ad Mosam, Genapiæ.*
6. *Partes Brabantiæ quæ Devolutionem non agnoscunt.*
7. *Limburgum & Ditiones Trans-Mosanæ subjacent Devolutioni in bonis privatorum.*
8. *Vicinæ quædam Regiones quo jure circà Devolutionem regantur.*
9. *In Germaniæ quibusdam locis viget Devolutionis Jus.*
10. *Cautela contra Devolutionem Germanis usitatam.*
11. *Galliæ & Jurisconsultis Gallis ignota est Devolutio; & hallucinationes Chopini inde natæ deteguntur.*

CAPUT III.

Quibus in bonis locus ſit Devolutioni.

SUMMARIUM.

1. *Devolutio pertinet ad immobilia omnis generis.*
2. *Viduus ſecundas nuptias iniens ligatur Devolutione circa noviter acquiſita, & quomodo id intelligendum.*
3. *Immobilia & mobilia quænam dicantur remiſſivè.*
4. *Uſu fori non habentur pro immobilibus etiam fundi niſi inhæredatio per operas legis præceſſerit.*
5. *Poteſt maritus conſtante matrimonio talia bona alienare in quibus inhæredatio facta non eſt.*
6. *Superſtes Conjux talia bona lucratur quaſi mobilia.*
7. *Vetus diſtinctio DD. an actiones mobiles ſint vel immobiles.*
8. *Argumenta contra dictam fori opinionem.*
9. *Ex iſta tamen opinione non ſequitur eum qui ex Conjugibus ſolus inhæredatus eſt Dominum fieri in ſolidum.*
10. *Etiam Conjux non inhæredatus acquirit dimidium conquæſtuum etiam Feudalium.*
11. *Quæ ſit ratio illius Juris.*
12. *Declaratur natura ſocietatis conjugalis.*
13. *Nullum Jus reale acquiritur regulariter niſi per operas legis.*
14. *Inhæredatio non ſuppletur poſſeſſione decennali ſed tricennali.*
15. *Conjux ſuperſtes lucratur bona defuncti etiam immobilia quæ conſiſtebant in actione perſonali.*
16. *Conſuetudo Lovanienſis quaſdam res mobiles habet pro immobilibus.*
17. *An iſtius conſuetudinis effectus porrigatur ad ultimas voluntates.*

C A.

CAPITUM.

CAPUT IV.

Quæ sit origo, ratio & æquitas Devolutionis.

SUMMARIUM.

1. *In quibus conveniant, & in quibus discrepent Devolutio Brabantica, & jus lucrorum nuptialium secundum leges Romanas.*
2. *Cur Conjugi superstiti injiciatur vinculum & prohibitio alienandi priusquam transeat ad secundas nuptias.*
3. *Tacitum pactum Conjugum inest Matrimonio de conservandis bonis quæ adferunt, pro Liberis primi thori.*
4. *Hæc benè consistunt, Devolutionem natam esse ex Consuetudine, & fundari super tacito pacto Conjugum.*
5. *Disceptatio de incommodis Devolutionis, & utilitatibus contrariis, item de æquitate vel iniquitate ejusdem.*
6. *Quæ sit antiquitas Devolutionis in Brabantia?*

CAPUT V.

An Devolutio sit successio, hoc est an tempore quo solvitur matrimonium Liberi succedant in bona superstitis? an posteà cùm ille moritur?

SUMMARIUM.

1. *Quòd Devolutio differat à successione evincitur quòd alioquin emergant plures absurditates quæ recensentur.*
2. *Nominatim quòd confundetur successio directa Feudalium cum successione laterali.*
3. *Consuetudines feudales distinctim & separatis articulis agunt de Devolutione & de successione.*
4. *Desumitur aliud argumentum distinctionis inter Devolutionem & successionem, quòd Lœudemia solvantur ex successione non ex Devolutione.*

 5. *Quar-*

CAPUT VI.

Apud quem sit proprietas rerum devolutarum.

SUMMARIUM.

CA-

CAPITUM.

CAPUT VII.

Casus observatu dignus secundùm dicta principia decisus.

SUMMARIUM.

1. *Species facti super qua judicatum est, ubi aliqui liberorum defuncti sunt tempore Devolutionis.*
2. *An eo casu liberi invicem successerint, an verò successio delata sit in mortem matris.*
3. *Rationes pro successione laterali Feudorum.*
4. *Rationes pro devolutione & posteà successione directa.*
5. *Judicatum devolutionem non posse haberi pro successione, & quanam indè consequuntur.*

CAPUT VIII.

In duplici Devolutione an usus fructus hæreditarius ad filium, an ad nepotes perveniat?

SUMMARIUM.

1. *Casus duplicis devolutionis avi & filii.*
2. *Moriente avo usufructuario an bona devolvantur ad filium an ad nepotes.*
3. *Quomodo intelligendum non esse bis continenter locum usufructui, vulgò* gheen tocht op tocht en valter.
4. *Concluditur pro filio contra nepotes.*

INDEX

CAPUT IX.

Quibus modis derogetur Devolutioni.

SUMMARIUM.

1. *Derogari potest Devolutioni vel testamento, vel pacto conjugum, vel declaratione contraria voluntatis.*
2. *Non incidit talis remissio Devolutionis in prohibitionem donandi inter conjuges.*
3. *Potest unus conjugum remittere alteri Devolutionem, licèt vicissim alter non remittat.*
4. *An possit Devolutioni derogari testamento unius conjugum de suis bonis aliter testantis quam dictat Devolutio, idq; durante matrimonio.*
5. *Argumenta partis affirmantis.*
6. *Argumenta pro parte negante.*
7. *Resolutio propositæ quæstionis pro facultate testandi.*
8. *An dissoluto matrimonio talis dispositio mutari possit.*
9. *Varii modi derogandi Devolutioni.*
10. *Si ex parte derogetur Devolutioni an in totum corruat?*
11. *An condito testamento à parentibus etiam non contrario Devolutioni derogetur tamen eidem?*
12. *Vocatis ex fideicommisso alicujus liberis, an id intelligendum sit secundùm regulas Devolutionis? & an qui ex priore thoro sunt præferantur cæteris.*

CAPUT X.

Consensus datus in communi testamento ut superstes conjux disponere possit de bonis Devolutioni subjectis, an revocabilis sit?

SUMMARIUM.

1. *Casus proponitur de revocatione consensus dati, ut superstes conjux de suis bonis devolutis disponat.*

2. Com-

CAPITUM.

2. *Commune testamentum quisque conjux pro parte sua mutare potest, ergo, ut videtur, etiam consensum ad disponendum datum in communi testamento.*
3. *Consensus datus paciscentibus de hæreditate tertii revocabilis est.*
4. *Permissio patris quâ concedit filio fam. jus testandi revocari potest.*
5. *Veriùs est consensum testandi de bonis devolutis mutari non posse.*
6. *Differentia permissionis quâ conceditur conjugi dispositio de bonis suis devolutis, & quâ permittitur superstiti de bonis præmortui disponere.*
7. *Posterior permissio incidit in speciem donationis causâ mortis alienæ.*
8. *Similis controversia tractata à Præside Everardo* consil. 12.
9. *Dicti consensus non continent donationem vetitam inter conjuges.*
10. *An licentia disponendi data superstiti conjugi fieri possit sub simplici signatura? expeditur per distinctionem.*

CAPUT XI.

Datâ facultate superstiti conjugi de bonis prædefuncti disponendi, an etiam concessum censeatur ut de propriis devolutioni subjectis disponat.

SUMMARIUM.

1. *Concessâ licentiâ superstiti disponendi de bonis prædefuncti, an hoc ipso data intelligatur potestas etiam disponendi de bonis devolutis?*
2. *Opinio negans amplectenda.*
3. *In ultimis voluntatibus non admittitur extensio de casu ad casum, nec de bonis ad bona per ratiocinationes à majori ad minus, aut alias similes.*

CAPUT XII.

Conjux superstes utrùm teneatur Inventarium conficere bonorum devolutorum, vel satisdare, ea salva fore.

SUMMARIUM.

1. *Non tenetur parens superstes secundùm mores nostros, conficere Inventarium bonorum devolutorum.*

2. *Ra-*

CAPUT XIII.

Utrùm liberi devolutarii sustineant æs alienum contractum durante matrimonio parentum?

SUMMARIUM.

CAPUT XIV.

De prohibita alienatione bonorum devolutorum.

SUMMARIUM.

4. *Idem*

4. *Idem statutum à Justiniano circa nuptialia lucra.*
5. *Quid si pater dilapidet & perdat res devolutas? an locus sit hodie L. Imperator ff. ad S. C. Trebell.*
6. *Ad religionem Judicis pertinet quomodo liberis prospiciat.*
7. *An vindicare possint liberi res devolutas & alienatas, si sint hæredes parentis qui alienavit?*
8. *Stabilitur opinio negans, & respondetur contrariis argumentis.*
9. *Quid veniat nomine alienationis?` remissius.*
10. *Quid dicendum de alienatione bonorum devolutorum facta à liberis cum consensu vel sine consensu patris? explicatur per varios casus & species.*
11. *An parens consentiens alienationi quam faciunt liberi sibi præjudicet in pretio?*
12. *An liberi cedere possint extraneo jus suum conditionale quod habent ex Devolutione?*

CAPUT. XV.

Bona devoluta an imputentur in legitimam liberorum.

SUMMARIUM.

1. *Constitutio quæstionis de imputatione bonorum devolutorum in legitimam liberorum, idq; per varias species.*
2. *Argumentum quo nititur opinio de non imputando res devolutas in legitimam liberorum.*
3. *Alterum argumentum ad eandem rem.*
4. *Confirmatur eadem opinio variis exemplis.*
5. *Respondetur ad argumenta & exempla adducta.*
6. *Præcautio & explicatio conclusionis de non imputandis devolutis in legitimam, & quando sic legitimam habeant filii, ut sint liberi ab ære alieno parentum.*

CAPUT XVI.

An valeat parentis ſuperſtitis diſpoſitio de devolutis, cum hac oblatione, ut vel eam patiatur filius, vel contentus ſit ſolâ legitimâ?

SUMMARIUM.

1. *An poſſit parens ſuperſtes diſponere de devolutis cum hâc conditione, ut eam patiantur liberi, vel contenti ſint ſolâ legitimâ?*
2. *An id ſit in fraudem conſuetudinis quæ Devolutionem adfert liberis.*
3. *Pragmatici quid ſentiant de diſpoſitione feudorum in ſimili forma?*
4. *Sed omninò tenendum valere tales diſpoſitiones.*

CAPUT XVII.

An ſatisfaciat pater viduus officio paterno, dotando filiam ex bonis devolutis.

SUMMARIUM.

1. *Dura eſt Juſtiniani conſtitutio in* l. ult. cod. de dotis prom. *ſtatuens omnem promiſſionem dotis ex bonis ſolius patris eſſe complendam.*
2. *An hoc eò uſque extendendum, ut non ſatisfaciat pater cedens filiæ bona devoluta?*
3. *Quid judicatum de hoc caſu in Camera Spirenſi.*
4. *Refellitur ſententia ejuſdem Cameræ.*
5. *Per mores noſtros ſatisfacit pater aſſignando filiæ ſuæ dotem ex bonis quæſitis conſtante matrimonio.*
6. *Lex ultima* Cod. de dotis promiſ. *plenè non ſervatur apud nos.*
7. *Quomodo dos conſtituenda quando nulla promiſſio præceſſit.*
8. *Vacillatio Germanorum circa Jus Devolutionis.*

CA-

CAPUT XVIII.

Filia minorennis primi thori, an in gratiam masculorum secundi thori renunciare possit in tabulis nuptialibus Juri Devolutionis quod habet in bonis paternis?

SUMMARIUM.

1. *Filia primi thori secundùm leges Devolutionis excludit masculum secundi thori.*
2. *Remedium inventum ad conservationem familiarum ut renuncient filiæ nubentes Juri Devolutionis & Successionis paternæ.*
3. *Argumenta ex Jure Romano petita quibus improbantur pacta renunciatoria successionum.*
4. *Jus Romanum hac in parte abrogatum contrario usu.*
5. *Jurisconsulti Galli testantur de contraria consuetudine, & renunciationes ejusmodi admittunt ut validas.*
6. *In Hispania idem obtinet atque etiam in Brabantia ac Germania.*
7. *Initium contrarii usus à constitutione Bonifacii VIII. in* cap. quamvis pactum. de pactis in sexto.
8. *Minor ætas renunciantis non impedit renunciationem, uti nec sexûs fragilitas, nec reverentia patris.*
9. *Valent tantùm illæ renunciationes quæ fiunt de incerta successione, non verò illæ quibus abdicatur successio acquisita.*
10. *Si Devolutio esset species successionis, non posset ei renunciari per filiam minorennem.*
11. *Distinctio variorum casuum in quibus fit renunciatio Devolutionis & Successionis.*

INDEX

CAPUT XIX.

An Renunciatio filiæ irrita fiat, si intra constitutum tempus pecunia dotalis quam pater promiserat non sit numerata?

SUMMARIUM.

1. *Nuda renunciatio Devolutionis vel Successionis sine aliquo vicissim dato vel promisso, nullius momenti est, & ab ea resiliri potest etiamsi juramentum adjectum fuerit.*
2. *Non est necesse ad validitatem renunciationis ut pecunia præsens numeretur, sed sufficit promissio.*
3. *Filia dicitur dotata per solam promissionem dotis.*
4. *Ratio ex qua sequi videtur quod deficiente solutione dotis, etiam corruat ipsa renunciatio.*
5. *Altera ad eundem finem ratio.*
6. *Argumentum in contrariam partem, quod promissor quidem sit in mora, sed ea purgari possit.*
7. *Si non purgetur mora à debitore, non propterea deficit aut rescinditur contractus.*
8. *Potest tantùm contra morosum debitorem agi remediis ordinariis & civilibus, non occupari aut invadi ipsa successio.*
9. *Uti venditor non potest resilire à venditione ob non solutum pretium, ita non potest recedi à renunciatione ob non solutam dotem.*
10. *Objectio, quòd hac in parte distinguendum sit inter contractus nominatos & innominatos.*
11. *Responsio, quòd distinctio ista evanuerit pridem in foro, & omnes contractus hodie in eo conveniant, quod contra non satisfacientem agendum sit ut impleat.*
12. *Solutio argumenti propositi numero 5.*
13. *Galli Jurisconsulti quoque sentiunt non corruere renunciationem ob non solutam dotem quæ promissa fuerat.*
14. *Non potest recedi à jure prætextu imaginariæ æquitatis quam Belgæ non admittunt contra jus commune.*

C A-

CAPITUM.

CAPUT XX.

De Renuntiationum quibusdam Speciebus, An caducæ fiant ob non solutam dotem, vel aliud non implementum.

SUMMARIUM.

1. *Potest renunciatio sic expressè fieri ut non solutâ dote tempore constituto, ipsa irrita sit.*
2. *Idq; vel sub conditione suspensiva vel sub resolutiva.*
3. *Etiam sub modo concipi potest Renunciatio, v. g. ut is in cujus gratiam fit, gestet insignia Familiæ illustris.*
4. *Quoad Devolutionis renunciationem nihil interest inter conditionem & modum, & semper attenditur causa finalis.*
5. *Potest Renunciatio fieri duabus ex causis, ubi prævalet semper causa primaria seu finalis.*
6. *Si concurrat dotis constitutio cum conservatione Familiæ, hæc postrema primaria causa est, non prior.*
7. *Causa renunciandi quæ pro scopo habet Reipublicæ salutem vel utilitatem, semper primaria est.*
8. *Quid de Regiis connubiis & pactis renunciatoriis iisdem adjectis, quorum duo exempla proponuntur, & in iis quædam observatu digna, de quibus resolutio in medio relinquitur.*
9. *In dotationibus Regiarum filiarum quid fuit aliquando observatum, si dotalis pecunia non numeraretur.*
10. *Recapitulatio præcipuarum rationum pro & contra renunciationes publicarum successionum.*

INDEX

CAPUT XXI.

Utrùm ipse Ducatus Brabantiæ subjectus sit Devolutioni?

SUMMARIUM.

1. *Argumentum primum pro parte affirmante ex re judicata* 1230. *contra Ducem Brabantiæ Henricum, qui viduus cùm esset, bona quædam alienaverat.*
2. *Alterum argumentum sumitur ex regula feudali, quòd feudum dominans sequatur conditionem & mores feudorum servientium.*
3. *Tertium argumentum ex eo deducitur, quòd Principes Belgii jurare soleant se observaturos mores & Jura Regionum.*
4. *E contrà non concludunt argumenta adducta: nam sententia lata contrà Henricum Ducem Brabantiæ non agit de ipso Ducatu, sed de* bonis quibusdam *Ducis.*
5. *Ulterior ejus rei probatio per argumenta irrefragabilia.*
6. *Quid obtinuerit ante sæculum duodecimum circa successionem Ducatus.*
7. *Quid ordinatum* 1204. *per Philippum Regem Romanorum circa eandem successionem.*
8. *Quid sanxerit Carolus Quintus Imperator circa successionem fœminarum in Principatus Belgii.*
9. *Alia acta ejusdem Caroli Quinti, quibus ostendit se Jus Devolutionis circa Provincias Belgii non agnoscere.*
10. *Similia acta Philippi Quarti Hispaniarum Regis, quibus idem luculenter declaravit.*
11. *Absurditates quæ resultant ex contraria sententia.*
12. *Non valet hac in re ratiocinatio à privato ad publicum.*
13. *Responsio ad secundum argumentum de sequenda consuetudine feudorum servientium.*
14. *Seposità omni lege proprià circa successionem Brabantiæ, quodnam Jus eo casu sequendum.*

15. *Non*

15. *Non posse recurri ad Jus feudale Brabantiæ, quod evincitur scriptum esse privatorum feudis.*
16. *Quid olim à Ducibus Brabantiæ assignatum sit filiabus Ducum.*
17. *Unicum extat exemplum, ubi filia Ducis partem Ducatus sibi asserere voluit* 1326.
18. *Sed repulsam passa ex eo capite, quòd mulieribus nullum jus competat succedendi in Ducatu quamdiu masculus aliquis superest, ubi & Historia totius rei gestæ refertur.*
19. *Juri Gentium adversari videtur, ut in publico regimine fœmina præferatur mari ejusdem gradus.*
20. *Objectio quòd Brabantia sit qualitatis feudalis recognoscens Imperium Germanicum, quod exponitur & limitatur.*
21. *Rursum ostenditur non posse ex feudis aut aliis bonis privatorum argumentum trahi ad devolutionem ipsius Ducatus, absurda quæ inde sequerentur.*
22. *Si Devolutioni locus non est circa Ducatum Brabantiæ, quid sibi vult quòd Wenceslaus Secundus declaravit* 1411. *se Devolutioni Brabanticæ in gratiam Ducis Anthonii renunciare? id exponitur & ostenditur ab æquivocatione vocis* Devolutio *procedere.*

CAPUT XXII.

Etiam admissâ Devolutione Ducatûs Brabantiæ non fore consequens Filiam primo thoro genitam præferri Filio secundi thori.

SUMMARIUM.

1. *Etsi concederetur Devolutioni locum esse circa Ducatum Brabantiæ, non sequeretur inde Filiam primi thori præferri Filio secundi thori.*
2. *Omnis dispositio generalis intelligenda est de Personis capacibus, & habilibus.*
3. *Ante quatuor sæcula Filiæ Ducum Brabantiæ prorsus inhabiles erant successionis Ducatûs Brabantiæ.*

4. *Anno*



SECUNDA PARS


TRACTATUS DE JURE DEVOLUTIONIS,

In quâ exploduntur Obſervationes QUIBUS EUNDEM TRACTATUM *Maculare conatus eſt* ANONYMUS.

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIUM.

Sycophantiæ & calumniæ quædam Obſervatoris retunduntur.



Xpectavit fortaſſis Obſervationum Author reſponderi ſibi pari prolixitate & minutiloquio quo ille ſcriptum ſuum contexuit : at *turpe eſt difficiles habere nugas*, *&* *ſtultus labor eſt ineptiarum.* In obſervationibus iſtis video parum eſſe ſapientiæ, loquentiæ multum, pluſque

tenuiorum quæstionum quam solidæ rei, quæ omnes si disputando exhauriendæ forent, faciliùs fuerit, (uti in proverbio est) Augiæ stabulum expurgare. Scommatibus & convitiis quæ liberaliùs in me effundit, quam videar mihi esse commeritus, referendis aut refutandis non occupabor, quod illiberale sentiam Lectoris otio sic abuti, ut loco publicæ veritatis indagandæ rixis privatis plerumque de re nihili operam dare debeat: unum tamen quod ad rem principalem etiam facit, non possum silentio præterire.

Retuleram cap. 7. Tractatûs de Devolutione speciem quamdam facti cum controversia indè nata quæ in suprema Curia Clientelari ante annos circiter octo plenariè disputata ac solemniter sic decisa est, ut pro præjudicio stabilierit, proprietatem rerum devolutarum soluto matrimonio apud parentem superstitem permanere, quo præjudicio ut se liberaret Observationum Author, calidè & audacter negavit vera esse quæ de eo judicio in medium attuleram, idque his verbis fol. 146. *Non* *Edit. Holl. fol. 106.* *quòd nequierim Authori Deductionis demonstrare id quod de judicio isto profert veritatis expers esse, quodque in eo casu decisum est minùs procedere ex iis rationibus quas sibi in animo fingit ac deducit, quàm aliis quæ ex naturâ ac specialibus regulis Devolutionis*

tionis suaptè procedunt. Quam sermocinationem tandem hoc Epiphonemate concludit fol. 153. *Deductionis Authorem in hoc tantum laborasse, ut plebeculæ suæ comprovinciali faciliùs imponeret.* Quemadmodum Comicus *hoc solum negotii credidit dari sibi; populo ut placerent quas fecisset fabulas.* *Edit. Holl. fol. 111.*

Summa ejus quod vult dicere est, neque sic judicatum esse ut ego retuli, atque ita me mendaciloquum esse, neque super mediis istis quæ adduxi, sed ex aliis quibusdam in animo ejus reconditis sic judicari potuisse, atque de his omnibus tam confidenter pronunciat non visis actis aut instrumentis litis, tanquam scilicet afflatus Genio Claudii Cæsaris, de quo Seneca in ludo.

Cædite mœstis Pectora palmis O caussidici,
Venale genus. Deflete virum
Quo non alius Potuit citiùs, Discere causas,
Una tantum Parte audita, Sæpè & neutra.

Hominem Gallum de rebus ac judiciis nostris quæ neque vidit, neque expendit censuram ferre, non tantum stoliditatis, sed & impudentiæ plenum est. Quæ in luce fori spectantibus cunctis, circumstrepentibus Pragmaticis & Leguleis gesta sunt falsi velle coarguere, hominis est vehementer abutentis patientiâ publicâ. Figmenta & somnia sua per tenues conjecturas præferre rebus solidis ac receptis,

hominis est minutiloqui & *tenuissimarum nugarum Sacerdotis*, ut Aristophanis dicterio utar. Sed abstineo acribus dictis ne videar convitia convitiis velle refellere: Sed quis tam ferreus ut teneat se.

CAPUT II.

De Authoritate & intellectu Constitutionis Cæsareæ Philippi Anni 1204.

SUMMARIUM.

1. *Argumenta quibus dicta Constitutio Philippi ab Authore observationum impugnatur.*
2. *Responsio ad primum de Authoritate Philippi Imperatoris Authoris constitutionis Anni* 1204.
3. *De successione Beggæ Pipini Landensis Filiæ in Ducatum Brabantiæ.*
4. *Neque sub Romanis, neque sub primis Francis ullos fuisse Ducatus aut Comitatus stabiles ac perpetuos, neque Pipinum fuisse Ducem Brabantiæ.*
5. *Testimonium Hadriani Valesii & aliorum Authorum de eadem re.*
6. *An Gerberga fratri suo Ottoni successerit in Ducatu Brabantiæ.*
7. *Gerbergam non successisse in Ducatum Brabantiæ.*
8. *Aliorum Historicorum testimonia id confirmantium.*
9. *Causa Hallucinationis eorum qui diversum scripserunt.*
10. *Recapitulatio jam dictorum.*

REm igitur principalem quod attinet, refricanda memoria est, quod cùm in prioribus scri-

ſcriptis de eo quæreretur, an in ſucceſſione Ducatûs Brabantiæ filia genita ex priore thoro præferenda foret filio procreato ex poſteriori thoro, atque in eam rem pro filio magnum momentum adferret Conſtitutio Philippi Regis Romanorum anni 1204. quâ ſtatuit, *ut ſi Dux maſculum hæredem non habuerit, filiæ ſuæ in feudis ſuis liberè ei tanquam maſculi ſuccedant.* Omnes machinas admovit Author Obſervationum ad eam conſtitutionem evertendam, uſus ſequentibus argumentis.

Primò, Philippum Regem Romanorum, & deindè Imperatorem, *ejuſdem Conſtitutionis Authorem, non adeò indubitatum Imperatorem fuiſſe, quin ea dignitas ipſi ab Ottone denegata fuerit.* 1.

Secundò, *conſtitutionem iſtam Brabantiæ causâ factam eſſe* haud credit Author, ſed Lotharingiæ potiùs, eo quòd *conſtet*, inquit, *filias ad ſucceſſionem Ducatus Brabantiæ ante conſtitutionem admiſſas fuiſſe*: cujus admiſſionis filiarum duo exempla uti irrefragabilia in medium profert.

Primum, *Begga Pipini filia, Grimoaldi ſoror, quæ ſuperſtes Patri atque fratri, qui ſine liberis obierat, huic Principatui ſucceſſit, & cujus poſtea conjunctim cum Anſegiſo marito ad annum uſque 685. potita eſt, quo quidem anno poſt Anſegiſi cædem Pipino II. filio, qui Heriſtallus dictus eſt, Brabantiam*

dereliquit. Alterum exemplum præbet, ait, *Gerberga Caroli filia ac soror Ottonis, qui cum absque liberis anno* 1005. *interîsset, eandem Gerbergam ac Lambertum Montensem ejus virum in Brabantia successores habuit; ex quibus ad Henricum senem eorum filium, & per ipsum ad posteros Comitatus ille transmissus est.* Hactenus dictus Author.

Quibus infirmis tibicinibus fulcire audet homo præfidens causam tanti ponderis, in qua tam pueriliter hallucinatur, ut Pipino & Beggæ tribuat Ducatum Brabantiæ quod jam pridem apud eruditos explosum est, de quo infrà latiùs.

2. Sed utrumque argumentum facili operâ diluitur, nam quòd attinet ad constitutionem Philippi Imperatoris ejusque qualitatem, verum quidem est secundùm fidem historiarum illius ævi, Philippum eundem primis Imperii sui annis cum Ottone de dignitate sua luctatum fuisse, sed is exitus fuit contentionis & certaminis, ut Otto juri suo tandem cesserit, & pacificam possessionem Imperii Philippo reliquerit, uti testatur *Abbas Vrspacensis*, aliique ejusdem temporis annalium Scriptores relati à *Christop. Butkens aux Trophées de Brabant*, ad annum 1204. Quod ubi contingit, nihil contra ejusmodi Principes moveri potest: Nam si aliter statuamus pleraque optimorum Principum acta vacillare necesse erit,

cum

cum principia turbida pleriq́ue habuerint, &

Ad Generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendant Reges, & ſiccâ morte Tyranni.

Sed quò bonum iſta movere circa Sanctionem ab omnibus deindè receptam, & cujus effectus etiamnum hodiè in aliis compluribus articulis perdurant? Sed nec Author ipſe multum tribuere ſe objectionibus ſuis oſtendit, uſus ubique terminis vacillantibus, veluti, *vix probari valet*, *&c.*

Quod ſi etiam largiremur eandem conſtitutionem aliqua ex cauſa irritam eſſe, non aliud foret conſequens quàm omnia in eodem ſtatu manſura, atque erant ante eandem conſtitutionem. Quis autem tunc erat rerum ſtatus, niſi fœminas generatim inhabiles eſſe ſuccedendi, ſive maſculi extarent, ſive non? quod vel ipſa conſtitutio ſatis innuit, cùm novum jus ſe invehere dicit, aliquo caſu fœminas admittendo ad ſucceſſionem. Fruſtra etiam dubitare ſe fingit Author Obſervationum, an tunc temporis authoritas competierit Imperatoribus Germanicis aliquid de Brabantia ſtatuendi, de quo ſi ad plenum inſtructus non eſt, adire poterit præter noſtrates Hiſtoricos, *Auberti Miræi Codicem piarum fundationum*, *& notitiam Eccleſiarum Belgii* alioſq́ue ejuſdem generis Scriptores, atque inprimis *Chriſtophorum Butkens aux preuves des Trophées de Bra-*

Brabant, in quibus non parvum numerum reperiet ejuſmodi conſtitutionum qualis hæc eſt de rebus Brabanticis ſtatuentium, quæ utrum ſi ſimiles nunc hodie condantur & emittantur, parem vim habituræ ſint, pendet ex pactis, conventis ſeu concordatis poſt ea tempora initis inter Imperium Germanicum & Burgundicam Domum, atque præſertim ex tranſactione Auguſtanâ anni 1548. qua effuſa illa & illimitata ſtatuendi licentia in Brabantia, nonnihil temperata eſt, uti & feudalitas Regionum Belgii ad certum modum redacta.

3. Quod porrò dicit Author Obſervationum de ſucceſſione Beggæ filiæ Pipini ſenioris in Ducatum Brabantiæ, multigenos errores continet tum Hiſtoriæ, tum Chronologiæ: Nam ſæculo iſto & aliquot citerioribus, neque Ducatus neque Dux Brabantiæ ullus, neque Comes, aut Comitatus vel Principatus omninò ullus erat, in quo jus aliquod, uti hodie, ſibi quis poſſet adſcribere, vel ad Succeſſorem ſuum tranſmittere, tantum abeſt ut fœminæ tali dignitate fuerint inſignitæ.

Anthonius Dadinus in tractatu ſuo de Ducibus & Comitibus Provincialibus Galliæ, primis quin-
4. que capitibus, multis adductis authoritatibus, oſtendit, neque ſub Romanis, neque ſub primis Francis Ducatus aut Comitatus fuiſſe perpetuos, ſed

ad

ad vitam ac revocabiles: nominatim c. 5. his verbis. *Olim Duces & Comites nudi erant Magistratus.*

Gregorius Turonensis de Landaste, Comite Turonensi lib. 5. cap. 4. in hunc modum scribit. *Tu verò Ducatum totius Regni ejus annis quinque tenebis.* Item lib. 9. cap. 7. *Ennodius cùm Ducatum Urbium Turonicæ atque Pictaviæ ministraret, adhuc & vici Juliensi, atque Benarmæ Urbium principatum accipit; sed euntibus Comitibus Turonicæ, atque Pictaviæ Urbis ad Regem Childebertum, obtinuerunt eum à se removeri: ille vero ubi se remotum de his sensit, ad civitates superiùs memoratas properat; sed dum in illis commoratur mandatum accepit, ut se ab eisdem removeret, & sic accepto otio ad domum suam reversus privati operis curam gerit.*

Sed supersedeo pluribus de re clara & manifesta; in specie autem de Pipino nostro eum neque Ducem, neque Comitem, neque Principem Braban-

tiæ fuiſſæ, ſed opulento patrimonio & authoritate perſonali conſpicuum, quæ ei ſplendorem conciliabat. Patrimonium quidem ſuum ad Beggam filiam & poſteros ſuos, ut putamus, tranſmiſit, authoritatem verò & adminiſtrationem ſibi conceſſam quâ in Regni negotiis valebat, neque ad Beggam aut ullos liberorum ſuorum tranſmiſit, aut tranſmittere potuit, cùm ea quæ induſtriæ perſonæ alicujus committuntur, in alios tranſcribi nequeant, aut ad hæredes tranſmitti. Præter Divæum & Haræum Scriptores Belgicos qui id ſatis dicunt, promat ſenſum ſuum Clariſ. *Adrianus Valeſius* qui Francicæ Hiſtoriæ novam vitam donavit, Francus adverſus Francum, ut ita Cornix Cornici configat oculos. Is Lib. 18. rerum Francicarum in hunc modum ſcribit ad annum 623. ſub finem.

5. *Unum modò probare non poſſum, Pipinum noſtrum ab his ſcriptoribus Auſtriæ inferioris, aut (ſicuti etiam loquuntur) Lotharingiæ & Brabantiæ primum Ducem fuiſſe dici, eundemq́ue ab eiſdem titulum Grimoaldo & Anſegiſilo ejus filio, generoq́ue, Pipino quoque juniori & Carolo tribui. Habuit quidem in Pago Hasbanienſi*

atque

atque Bracbanto Austriæ inferioris Regionibus multas possessiones villasque Pipinus, inprimis Landinum vel Landam, à qua Cognomen invenit, & domum amplissimam in Oppido Niviala, quæ postea in Basilicam Monasteriumque ab Itta & Gertrude mutata est. Sed non ideo Dux Austriæ inferioris Brabantiæve aut appellandus, aut fuisse putandus est, cùm nulli ætate Pipini senioris diuque postea Ducatus apud Francos Hereditarii fuerint, & circa annum millesimum centesimum sextum Bracbantum, quod vulgò majore ex parte Brabantiam vocant, suos demùm Duces habere cœperit. Pipinus quidem ejusque filius Grimoaldus cùm Francorum Austrasiorum Duces sive Præfecti Palatii fuerint, Bracbantium quoque, qui Regno Austrasiæ contribuebantur, vel Austriæ inferioris Duces necessario fuerunt, atque ita (quanquam impropriè admodum)

appellari possunt. Si quidem qui Regnum aliquod procurat & administrat, partes quoque ejus singulas ac universas administret necesse est. Pipinus autem junior qui cognominatus est Crassus, Pipini Senioris ex Begga filia Nepos, & Carolus ejusdem Pronepos, Regis Pipini Pater, Ducum & Principum Francorum titulo contenti ambo, non Austriæ modo, cujus pars Bracbantum & Hasbania erant, verùm etiam Neustriæ & Burgundiæ ac Aquitaniæ, hoc est, toti Francorum Regno imperitaverunt: itaut qui Duces Bracbanti eos appellet, non minùs ridiculus sit, quam si quis Christianissimo Regi unum ac solum Ducis Burbonensium titulum adscriberet.

Hactenus *Valesius*, & rectè; nisi quod titulum Ducis Brabantiæ sæculo integro antiquiorem faciat quam revera sit, ut probat *Butkens aux preuves du Livre IV. des Trophées de Brabant*, ubi ostendit eundem titulum demum invaluisse circa annum mil-

millesimum ducentesimum tertium vivente Henrico primo, qui priùs titulo Ducis Lotharingiæ & Ducis Lovaniensis contentus fuerat.

Ne quis verò apud bibulas fabularum aures persuadere tentet potuisse favore aut conniventia Regum Franciæ dignitatem Pipino commissam ad posteros derivari, idque eo verisimiliùs esse quòd tantis honoribus Pipini in Regno isto colerentur: constat ex Historia Ecclesiastica medii ævi eidem Regioni centum ferè post Pipinum annis alium fuisse Ducem præpositum, qui nihil commune haberet cum Pipinis, scilicet *Chrodobertum*, uti videre est in annotationibus in vitam B. Pipini editis ab eruditissimis viris è Societate JESU Bollando & Henskenio, in quibus etiam videre est quid sentiant de titulo Ducatûs qui Pipino adscribitur his verbis. *An ergo Brabantiæ Dux Pipinus? Dux fuit, triumque bellicosissimorum Regum Clotarii, Dagoberti, sancti Sigeberti Palatio in Austria præfuit, ac sub iis res bellicas summâ authoritate administravit. Idem in eo terrarum tractu qui nunc Brabantia dicitur, amplas possessiones vel à Majoribus accepit, vel Regum munificentiâ ob-*

tinuit. Ducatus Brabantiæ aliquot post sæculis nominari cœpit. Ducem fuisse in iis partibus, centum fere post Pipinum annis Chrodobertum, ex sancti Eucherii vita 20. *Februarii patet. An eum præcipuè Ducatum administrarit Pipinus, an Comitatum fortassis unum alterumve, aut etiam plures jure proprio possederit, incertum.*

6. Transeamus nunc ad alterum exemplum de Gerberga succedente in Ducatum Brabantiæ fratri suo Ottoni, quod non minoribus scatet erroribus, atque adeò gerris meris. Quid enim? successitne Gerberga fratri in Ducatum, qui ducentis demum annis post in mundum prodiit? Addit Author Observationum in prædecessoribus Gerbergæ & Ottonis utrumque Ducatum Lotharingiæ simul & Brabantiæ aliquo tempore concurrisse, his verbis fol. 19. *eorum prædecessores* Ottonis & Gerbergæ, *Lotharingiæ simul ac Brabantiæ Duces extiterunt*, licet ipsi titulum tantum Comitis aliquo tempore assumpserint, atque alia quædam ejusdem commatis adjungit, quæ nugæ sunt & somnia. Dicamus breviter quod res est.

Edit. Holl. fol 14.

7. Gerbergam successisse fratri suo Ottoni Historici antiquioris sæculi uno ore consentiunt, sed

ſed in bonis ejus allodialibus & propriis : habuit enim Otto duplicis generis bona, ſcilicet Lotharingiæ Ducatum & partem aliquam ditionis Brabanticæ liberam ſeu allodialem ; Ducatu Lotharingiæ tanquam feudo maſculino Imperii Germanici ipſam excluſam fuiſſe, Hiſtorici rursùm aſſeverant, ſed Ditionem ſeu Comitatum Lovanienſem, qui complectebatur Lovanium, Bruxellam, Nivellam, Vilvordiam cum Fura ac Sonia-Sylva retinuit, atque in dotem dedit Marito ſuo Lamberto, eoque nomine ſe Comitem Lovanienſem, & ſubindè Comitem in Brabantia indigetavit, pro qua ditione tuenda etiam bellum ſuſtinere adverſus Imperatorem Henricum ſanctum coactus eſt, eo effectu, ut ipſe poſſeſſor manſerit.

Alias quaſdam Regiones, fundos, & poſſeſſiones in ſolo Brabantico hinc indè paulatim Duces Lotharingiæ acquiſiverunt, & poſſederunt, quæ tamen titulum Ducis Brabantiæ illis per ſe non attulerunt, donec numerus terrarum acquiſitarum auctus dignus cenſeretur hac illuſtri dignitate & titulo Anno 1203.

Nihil hic eſt quod cauſam Authoris adjuvare queat: agimus enim hic de Ducatu Brabantiæ, ſeu de ſuprema & hæreditaria Brabantiæ poteſtate, quomodo ea per ſucceſſionem Principibus delata ſit, &

utrum

utrum filiæ, deficientibus maſculis, ad eandem admiſſæ olim fuerint, qua de re nihil antiquitas, quæ ſuperet quatuor ſæcula, ſuggerere poteſt, cùm titulus Ducatûs poſterior ſit iſta antiquitate.

Sed non ſatis eſt hæc à nobis dici, probanda ſunt & confirmanda ex Hiſtoricis & Authoribus fide dignis.

8. Inprimis Edmundus Dinterus rerum Brabanticarum Hiſtoriographus Philippo Bono, Burgundiæ ac Brabantiæ Duci, tribuſque ejus deceſſoribus à ſecretis, in Chronico ſuo ante annos ducentos exarato: cujus authenticum ſeu originale Pargameno deſcriptum in manibus meis nunc eſt, ſcribit lib. 4. cap. 2. Gerbergam Lamberto Comiti Lovanienſi in dotem attuliſſe *Dominium Comitatûs Brabantiæ & Bruxellæ tanquam verùm allodium quo privari non poterat.*

Deindè Author magni Chronici Belgici ſic habet lib. 4. in Prolegom. pag. 90. mortuo Ottone ſine Sobole *Gerberga Soror ejus quia fœmina fuit Ducatum Lotharingiæ amiſit*, feudum ſcilicet Imperii quod jure Natalium ejus proprium fuiſſet ablato feminini ſexûs impedimento. Quæ loca etiam refert Clariſſimus Chifletius in vindiciis Hiſpanicis.

Quibus accedat fidiſſimus Scriptor & integerrimus Joannes Molanus cap. 42. militiæ ſacræ Ducum

cum Brabantiæ : *Mortuo Ottone ſine liberis, Lambertus Maritus Gerbergæ ampliſſimum diſtrictum Comitatum Lovanienſem & Bruxellenſem, invito ſancto Henrico Imperatore, multorum potentiſſimorum Principum ſanguine, affinitate atque fœderibus ſubnixus ſibi retinuit, jure hereditario ex parte uxoris ſuæ Gerbergæ.*

Deinde Divæus lib. 6. rerum Brabanticarum, in- 9.
ter liberos Caroli his verbis Gerbergam depingens, *Gerbergam*, inquit, *Lamberto Montenſi nuptam qui uxorio jure poſt ſoceri mortem Lovanienſem Comitatum obtinuit, qui Lovanium, Bruxellam, Nivellam, Vilvordiam cum Fura ac Sonia-Sylva complectebatur.*

Illius porrò abnormis hallucinationis quam accuſamus cauſa eſt, quòd veteres Ducatus & Comitatus cum novis confuderint & permiſcuerint etiam viri eruditi, attribuendo veteribus quæ conſpexerunt in novis, puta perpetuitatem tituli, ſucceſſionem, ſupremitatem.

Sed oportuit distinguere duplicis generis Ducatus, & duplicis generis Comitatus: Ducatus & Comitatus antiqui circa tempora Pipini senioris, & aliquot sæculis post mera fuerunt officia temporaria per mortem & per revocationem expirantia: Novi verò Ducatus & Comitatus transierunt in firmos titulos, nec morte nec revocatione expirantes, idque primùm circa tempora Hugonis Capeti, ut videre est apud *Dadinum dicto loco, Loyseau & alios Franciæ Scriptores.* Atque hinc intelligi potest quid sibi velit ista periodus quæ ex Dintero relata est, quâ Gerberga *Dominium Comitatûs Brabantiæ & Bruxellæ in dotem adfert*, ubi *Dominium Comitatûs* non aliud significat quàm Comitatum instar patrimonii jam acquisitum secundùm usum generalem qui priore ante Gerbergam sæculo invaluerat.

Quod verò Comes Brabantiæ dicitur non Lovaniensis, indè est quod Lovanium Urbs primaria esset Brabantiæ, cujus ratione se Comitem Brabantiæ dici posse existimabat, undè promiscuè nunc Lovanii, nunc Brabantiæ Comes, ac etiam in Brabantia Comes vocabatur, uti latius videre est apud *Butkenum in Trophæis Brab. & probationibus.*

Illud est quod potissimum volumus, non potuisse

tuiſſe anno 1000. Gerbergam Fratri ſuo ſuccedere in Ducatu Brabantiæ, qui nondum in rerum natura extabat, cùm nondum coaluiſſent in unum ditiones illæ quæ corpus Brabantiæ deindè conſtituerunt, & ex quibus partibus hodie conſtat.

Si opponat aliquis Comites loco Ducum poſſe intelligi, ſcilicet quibus firmus Comitatûs titulus acquiſitus eſt, atque adeo mutationem eſſe nominum non rerum, quaſi diceret, ſi non ſucceſſit Gerberga in Ducatum, ſucceſſit in firmum Comitatum, & vim argumenti in utroque parem eſſe.

Reſpondebitur, cum inter Ducatum & Comitatum Brabantiæ plurimùm interſit, tum dignitate & ſplendore, tum latitudine finium & numero Urbium muris cinctarum, quas omninò continet viginti ſex, Comitatus verò antiquus dumtaxat quinque, non poteſt procedere ratiocinatio ab eò quod minùs eſt ad id quod majus eſt & difficiliùs. Videat æquus rerum æſtimator quàm nihil verum ſit in iſta deductione Obſervatoris.

Quæritur de eo an in ſucceſſione Brabantiæ fœ- 10.
mina primi thori excludat maſculum ſecundi thori. Pro parte negante adducitur conſtitutio Philippi Imperatoris anni 1204. ubi fœminæ demum ad-

mittuntur si masculum hæredem Dux non habuerit. Hæc constitutio Authori observationum elidenda est, vel causâ se cecidisse tacitè confitetur. Dicit igitur constitutionem generaliter conceptam & directam ad Henricum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ de sola Lotharingia, nequaquam de Brabantia accipiendam esse, idque evinci ex eo quod jam olim fœminæ admissæ fuerint ad successionem Ducatûs Brabantiæ, ideoque non posse Brabantiæ applicari quod in dicta constitutione supponitur fœminas eò usque à Brabantiæ successione fuisse exclusas.

Ut verò probet illam non exclusionem fœminarum, duo in totum exempla producit, quorum primum futile & inane esse demonstratum est, cùm nec Ducatus Brabantiæ, nec successio tempore Pipini & Beggæ extiterint.

Alterum verò ubi Gerberga titulo Successionis Fratris sui Ottonis admissa quidem fuit ad allodia quædam Brabantiæ, non autem ad feuda quibus Brabantia hodie constat, & quæ magnam partem corporis ejus constituunt tale est ut nihil inde inferri possit: ex Successione enim Gerbergæ tam accisâ & attenuatâ ad plenariam successionem illius corporis quod nunc Brabantia dicitur velle argumentari, nemo non videt esse ineptum: atque adeo cùm aliud fulcimentum non suppetat Observa-

ſervatori, perſpicuum eſt quàm in caducum parietem inclinet tota ejus ſubſtructio.

Expunctis verò ad eum modum duobus exemplis, etſi nihil opus erat ulteriore probatione excluſionis fœminarum, cùm ipſa Conſtitutio Philippi ſatis dicat fœminas anteà fuiſſe excluſas; ſingulari tamen exemplo idem adhuc roborari poteſt, nimirùm ſucceſſione Godefridi Barbati in Comitatum Brabantiæ, de qua Molanus Cap. 55. Militiæ Sacræ in hunc modum ſcribit. *Perempto Tornaci in armorum ludo Anno* 1096. *Henrico Comite, ſucceſſit ei, filiabus fratris defuncti excluſis, ejus frater Godefridus de Lovanio dictus.* Cui accedat Lipſius. *Henricus*, inquit, *liberos mares non reliquit. Itaque venit in locum frater Godefridus, duplici cognomine, Barbatus, & Magnus.*

Secundùm quæ teſtimonia duobus propè ſæculis antè conſtitutionem Philippi, non tantum fœminæ excluſæ ſunt à ſucceſſione Comitatûs; ſed quod mireris Filiæ primi Gradûs ſubmotæ atque excluſæ fuere à Fratre defuncti, qui ſine controverſia multis annis Comitatum retinuit & poſſedit.

Ite nunc Magnates & Scriptoribus veſtris tan-

quam Oraculis & Vatibus fidite, vultisne scire, inquit Seneca, *quid omnia habentibus desit? Ille qui verum dicat, & adulandi studio vacet.*

CAPUT III.

Complectens septem Argumenta irrefragabilia ad destruendam Devolutionem Ducatûs.

SUMMARIUM.

1. *Consuetudo privata Devolutionis an comprehendat successiones Principum? pars negans stabilitur septem Argumentis.*
2. *Primum Argumentum petitum ex Contractu nuptiali inter Philippum II. & Mariam Angliæ Reginam inito.*
3. *Secundum Argumentum ex pactis nuptialibus Archiducum Alberti & Isabellæ.*
4. *Explicatio perversa eorumdem pactorum per Observatorem, & ad eum finem, falsitates aliquot commissæ, & detectæ.*
5. *Repræsentantur veræ clausulæ dicti Contractûs nuptialis.*
6. *Meteranus & alii Historici ab Observatore laudati non favent ejus desiderio.*
7. *Detegitur alia falsitas similis prioribus.*
8. *Strictura in Rhetorem qui Advocatum agit Reginæ Christianissimæ.*
9. *Fabella de Libris editis circa Devolutionem obtrusa à Rhetore & rejecta.*

SED ista quidem sunt ista, proximè sequatur 1.
tractatio alia in qua omne momentum constituit Observator de Consuetudine Brabantiæ circa Devolutionem etiam involvente successiones Principum, quo idem Author perpetuò provocat his in-

Edit. Holl. fol. 11. ter alia verbis Fol. 14. *Hoc unum discutiendum superest, cùm Reginæ jura præcisis consuetudinis Brabanticæ verbis includantur, an eadem lex in Principum hæreditatibus, ut & in privatorum, locum obtinere debeat? Et illud certè est quod passim hoc in scripto firmissimis probationibus atque Argumentis stabilietur, cuique rei in contrarium probandæ Deductionis Author diligenter incumbere debebat, quandoquidem totius Controversiæ difficultas in eo versatur.*

Quod fieri postulat Observetor jam factum est, si animum æquum & studiis partium vacuum in pectore gerat, scilicet sex solidis Argumentis sic confossa est ea Controversia quam renovat, ut ipsæ languidæ & obtusæ solutiones quas attulit satis magnum Argumentum soliditatis præbeant, quibus nunc accedet septimum paris roboris Argumentum.

Primum Argumentum petitum erat ex Contra-
2. ctu Nuptiali inter Philippum secundum & Mariam Angliæ Reginam inito, in quo interveniens Carolus

rolus Quintus ſpoponderat Filios ſecundo Matrimonio naſcituros ſucceſſuros ſolos in Provinciis Belgii excluſo Carolo Philippi ex prioribus nuptiis Filio. Reſpondit Author Obſervationum hanc ſponſionem Caroli *tacitam eſſe confeſsionem Iuris Devolutionis & potiùs Ambitionis quam Poteſtatis Argumentum.*

Sed cur ambitionis arguitur Carolus, cur dicitur tacitè confiteri jus Devolutionis? Nimirùm quia hoc jus ipſum revera obligat, dicet Author, & revolvitur totum in primum principium, ſeu (uti loquimur) fit petitio principii: peſſimum verò diſputandi genus eſt aſſumere & ſupponere ea quæ in quæſtione ſunt. Sic cùm de Devolutione diſputatur, & quæritur an locum habere debeat, ineptum eſt eandem ſemper uti certam obtrudere, quod propriè Sophiſtarum & Cavillatorum eſt. Illud certum eſt Carolum Quintum promittentem ſecundi Thori liberis hæreditatem ſuam ac ſucceſſionem in Provinciis Belgii, egiſſe aliquid publicè quod non conſentit cum Jure Devolutionis: an ſciverit, an dubitaverit, an ignoraverit, nullus apex in contractu eſt qui indicet, conjecturæ ſunt ſi quis vel unum vel alterum dixerit; Interim dum hoc latet, jus aliquod inde formari certum eſt, ma-

ximè accedentibus aliis ejusdem generis exemplis: cùm enim de consuetudine agitur, primum illud spectandum esse tradunt Jurisconsulti quo jure retrò populus, Civitas, vel alia Communitas usa sit, an rectè, an ordine, an legitimè factum illud peractum sit, nihil interest ad usum & Consuetudinem indè fotmandum. *L. cum de Consuetudine ff. de legibus.*

3. Secundum Argumentum contra Devolutionem Principum desumptum erat ex conventionibus nuptialibus, quibus in dotem donantur Infanti Elisabethæ Provinciæ Belgicæ à Philippo secundo jam viduo, quod fieri nequiret si eædem Provinciæ
4. Devolutioni essent obnoxiæ. Respondit Author Observationum quod in donationis illius verbis manifesta signa deprehendantur quibus constet Philippum secundum plenissimè convictum fuisse juris Elisabethæ filiæ, quod ex capite Devolutionis in Brabantia jam acquisiverat, ob eamque causam consilium cœpisse titulum hunc *Devolutionis, quem nullis conditionibus onerare poterat, in titulum Donationis commutandi, cui quaslibet conditiones, præsertim reversionis, apponere posset, &c.*

Ubi Author tria quæ in facto consistunt sine ulla

proba-

probatione audacter ponit, & admitti vult. Primò quod Devolutio Philippum secundum obstrinxerit, secundò quod sciverit, & convictus fuerit ejusdem juris, tertiò quod titulum Devolutionis arbitrio suo commutaverit in donationem: Ne verò videatur nihil probationis attulisse, ejus loco obtrudit periodum quandam à reliquo corpore Contractus avulsam, ubi Philippum secundum expresè stipulari dicit à filia *illam accepturam Provincias Belgii quas ipsi dat, viâ donationis & quasi ex dono*, quod deindè Gallicè sic interpretatur ex Editione Madritensi anni 1598. *Et que par voye de Donation ou comme par Don elle reçoive nosdits Pays-Bas & Comtè de Bourgogne.*

Quis vero tam Lynceis oculis præditus est, vel tam acri pollet penetrandi facultate ut in superioribus verbis (etsi legitimæ forent translationis, quod non est) videat Devolutionem bonorum Philippi secundi, atque insuper illum de isto jure esse convictum? Sub qua syllaba latet commutatio Devolutionis in Donationem, & consilium quod cœpit antè Philippus de apponendis conditionibus & oneribus? Testor fidem Authorem Observationum

 mihi

mihi esse penitùs incognitum, nec scire me utrum sit albus an ater homo, nihil etiam me dicturum scio contumeliæ ejus causâ, sed si ea quæ scribit ex animo scribat non adulandi studio, non possum quin in dubium adducam an illi sit sanum sinciput, vel ad minus insigne glaucoma oculos ejus non offuscaverit.

Verùm enim verò præteriri hoc loco non potest insignis falsitas quam Author si non fabricavit, rei suæ saltem cum damno veritatis applicuit, provocans etiam ad instrumentum quo ipse liquidò convincitur, scilicet ad Authenticum (ut ipse dicit) Gallicum donationis datæ Madriti, quale exemplum nunc mihi in manibus est, ubi circa principium stipulationis à Philippo secundo his verbis cavetur, *Que l'Infante Elisabeth porte en Dot & comme Dot lesdits Pays d'Embas, & le Comté de Bourgogne.* Cujus loco substituit Author hæc verba, *Et que par voye de donation, ou comme par don elle reçoive nosdits Pays-Bas & Comté de Bourgogne.*

Si quærat aliquis quo fine & cujus spe emolumenti id tentare in animum induxerit, facilè ex Scopo Authoris intelligi datur, qui eam cessionem nuptia-

nuptialem, neque pro Dote, neque pro Donatione vera & propria haberi vult, ſed pro impropria & partim commutativa, idque innuere verba iſta *quaſi ex Dono*, Gallicè *comme par Don*, cùm è contrario accipi debeat de pura, puta Dote & Dotatione, ad quod inculcandum toties nomen *Dotis* & nunquam *Donationis* eodem in contractu repetitum & geminatum videre licet, quo fine clauſulas omnes eandem materiam concernentes, eiſque affines bonâ fide decerpſimus, & hic junximus.

Primeramente que el Archiduque caſaſſe 5.
con la Infanta D. Iſabel, &c. llevando por dote los Payſes-Baxos, quæ clauſula Gallicè ita concepta eſt, *qu'elle porte en dot & comme dot leſdits Pays d'Embas.* Et iterum in progreſſu ſequens clauſula repetitur. *Donamos, cedemos, transferimos, renonciamos, y damos en dote, &c.* quod Linguâ Gallicâ ſic poſitum eſt, *Donnons, cedons, delaiſſons, transferons, renonçons & accordons en dot, &c.* Quibus clauſulis accedere poteſt hæc finalis & repetitiva tituli prioris, *y aſſi hazemos, criamos, inſtituymos, y nombramos, por la preſen-*

te, en la forma y calidad referida à nuestra dicha hija la Infanta, Princessa, y Dama de los Payses-Baxos, &c. Quæ in Gallico instrumento sic referuntur. *Et ainsi faisons, creons, instituons, & denommons par ces presentes en la forme & qualité susmentionnée nostredite Fille l'Infante, pour Princesse & Dame desdits Pays d'Embas, &c.*

6. Sed non contentus fuit Author ipsum instrumentum falsitate tam evidenti fœdasse, nisi etiam falsò in testem adduxisset Emanuëlem Meteranum quasi ille in Historia Belgica lib. 20. sensui aut translationi Authoris faveat, quæ tamen Historia diligenter illa in parte perlecta negry quidem illius continere deprehenditur.

Alia non minor falsitas ab eo commissa est dum fol. 115. fingit & audacter asseverat Philippum II. *Cùm Provincias Belgii Filiæ suæ donavit, in instrumento donationis inter alias causas hanc esse declaravisse, nempè quod Filia ex se ipsa, suoque jure aliquid in Belgio jam obtineret his verbis Gallicis: Joint les raisons*

Edit. Holl. fol. 84.

ſons du partage que devons faire à noſtre Fille l'Infante ſelon les merites & grandeur de ſa naïſſance. Quæ clauſula ſollicitè à me aliiſque quæſita tam in dicto inſtrumento Gallico Madritenſi, quam Hiſpanico memorato, reperiri hactenus omnino non potuit. Hæc tam denſa multiplicia falſitatum genera ſi in cumulum conjiciantur, cum onerariam propè navem queant implere, ſuperſedere nunc licebit ab aliis conquirendis, ſed interim crimine ab uno diſce omnes.

Sed necdum ſatis falſitatum pro ingenio Nationis,admetiri ſolet hoc genus mercium non modio neque trimodio ſed pleno horreo. Alter ille Tenebrio tuus Symmyſta qui Jura Reginæ Chriſtianiſſimæ defendenda ſuſcepit, ita ſalebras has tranſilire conatus eſt, ut generalia quædam enunciata pigmentis Rhetoricis incruſtaret, rem verò ipſam ac veritatem deſtitueret. Numero XXIX. ingreſſus Materiam capitalem Devolutionis Brabanticæ ſic ſcribit. *Quod verò obtineat ea quæ ſit apud Brabantinos publicè recepta perſuaſio, ſummi Imperii jus ad Filiam ex priore thoro genitam, ut feuda quæque devolvi, ex iis, quæ regnante Philippo Secundo acta in Belgio* 8.

Mete-

Meteranus commemorat facilè colligimus. Ac deindè post laudat authoritatem Kintſchotii, Chriſtinæi, Butkenii ac Grotii, ſed non magis ſincerè & ad rem quàm cætera quæ antè memoravimus: Meteranus uti dictum, nullam Devolutionis aut clauſulæ alicujus ſingularis mentionem Hiſtoriæ ſuæ inſeruit, non magis quam Butkenius aut Grotius: Kintſchotius verò, Chriſtinæus, nihil de Devolutione Principatuum, ſed in genere quædam de Devolutione commentati ſunt, quæ nihil commune habent cum hoc Argumento particulari quod tractamus, uti nec generalis Privilegiorum commemoratio quibus obſervandis Archiduces Albertus & Iſabella fidem ſuam Ordinibus obtrinxerunt. Sed quid hoc ad probandam Devolutionem ipſius Principatûs? Quàm inepta ſit hæc illatio nemo non videt, Privilegia Brabantina generali oratione ſanciuntur & confirmantur à Ducibus Brabantiæ, ergo etiam Devolutio circa Ducatum, quæ rurſum eſt inepta petitio principii quæ Authori admodùm videtur eſſe familiaris.

9. Ejuſdem fidei eſt quod audacter adjicit quod circa tempus inaugurationis Archiducum, *Doctiſsimi quique juris Interpretes libros certatim edidere, quibus Devolutionis jus*

cùm

cùm rationibus tùm exemplorum vetustate confirmarunt, quorum librorum exempla cùm nemo ſit veterum Cauſidicorum aut Juriſconſultorum qui videre ſe meminerit, alia Argumenta conquirenda ſunt priùſquam credamus.

Sed tædet jam pridem harum Sycophantiarum quæ nihil veri, nihil æqui, nihil ſolidi exhibent, & conſequenter quidquid ſuper iis extruxit Obſervator ſuâ ſponte ruit, ut nihil neceſſe ſit ad particularia quædam quæ minutìm cumulat deſcendere.

Quæ tertio loco adducta eſt Caroli V. Sanctio non tantùm ipſius dici debet, ſed eorum omnium qui aſſenſu ſuo & receptione eam roborarunt, in quo numero ſunt non tantùm Concilia & Ordines Provinciarum omnium, verùm etiam Philippus Secundus Caroli Quinti Filius & Succeſſor, qui non modò eam ratam habuit & confirmavit, ſed hanc ſuam ratificationem & confirmationem Contractui nuptiali Filiæ ſuæ Eliſabethæ expreſsè inſeri voluit, & futuris Conjugibus obſervandam impoſuit his verbis. *A charge d'eſtre gardée & obſervée inviolablement la Pragmatique faite par d'Immortelle Memoire l'Empereur*

 Mon-

Monſeigneur & Pere qui ſoit en gloire, au Mois de Novembre de l'An quinze cens quarante neuf, en ce de l'union deſdits Pays d'Embas, ſans conſentir, ny accorder aucune diviſion, ny ſeparation en iceux pour quelque cas, ny en aucune maniere que ce ſoit.

Ex quibus apparet vanum eſſe Argumentum Authoris Obſervationum, qui Pragmaticam Caroli V. ex hoc capite oppugnat quaſi editam eo tempore quo Carolus vi reſignationis ſuæ authoritatem omnem exuerat: licet enim res ita ſe haberet, quod nunc prolixâ diſputatione agitare nolumus, novum tamen ſpiritum ac vitam ſemiſæculo poſt authoritate Philippi & populi conſenſione conſequuta eſſet. Cætera quæ contra eandem pragmaticam objicit Obſervator levicula ſunt & futilia, & apud æquos rerum Arbitros ante hâc ſatis enodata.

11. Quartum locum occupet reſponſum publicum Cancellarii Brabantiæ Joanni Regi Bohemiæ datum propè annum 1326. quo eundem Regem à Brabantiæ ſucceſſione repulit uſus hoc enunciato, *Nullum jus competere fœminis in Brabantia quamdiu maſculus aliquis extaret.* Quæ

ſenten-

ſententia cum Jure Devolutionis, quod fœminas primi Matrimonii præfert maſculis ſecundi, ſtare nequit. Cujus rei pleniorem Hiſtoriam nunc omittemus, cùm ſatis ſit priori in Libro eam retuliſſe.

Quid tamen Obſervator? (nam Luciniæ nunquam deerit ſua cantio) ait ex Hiſtoria P. Divæi 12.
liquere Regem Bohemiæ tandem ſuper petitione ſua pecuniâ placatum fuiſſe, idq́ue interventu Philippi Regis Galliæ qui pacem hac ratione conciliarit, ex quo appareat, ait, *Petitionem ejus adeo injuſtam habitam non fuiſſe. Quamvis enim tota hæc controverſia per pecuniæ ſolutionem conſopita fuerit, negari tamen non poſſunt, quin ejuſmodi compoſitio Regis Bohemiæ juris approbatio tacita fuerit, cujus poſtulatio vel iniqua vel inſolens eſſe judicata non eſt.*

Verùm hæc tota narratio & evaſio mera rursùm 13.
eſt impoſtura, cum pecunia Duci Brabantiæ imperata à Rege Galliæ pro cauſa non habuerit petitionem partis Brabantiæ quam Rex Bohemus propoſuerat, ſed aliud Bellum per id temporis motum inter Ducem Brabantiæ, & Reinaldum Dinaſtam

Falcoburgensem, cujus partibus Bohemus se adjunxerat, deindè à Rege Franciæ sopitum, cujus causam & occasionem videre licet ex contextu Historiæ P. Divæi ad annum 1328. quæ Historia & hoc ampliùs nos instruit paulò post petitionem Regis Bohemiæ, Pacem & amicitiam coaluisse inter eundem Regem & Ducem his verbis Divæi, *inter Boëmum ac Ducem Pax concors esset.* Adeò quidem ut *Bohemus Ducem Bruxellam comitatus filium illi natum Mense Octobri è sacro fonte susceperit*, idque gestum anno 1326. Neque igitur verum est, neque Historia dicit quod Observator persuadere conatur, *Joannem tertium Ducem Regis Bohemiæ jura solutione quadam pecuniariâ redemisse.* Arbitratus est, credo, lectores in media luce talpas fore, nec animadversuros quidquid ipse corruptore stylo suo adulterasset.

Sed detur etiam primum Bellum seu dissidium pecuniâ redemptum fuisse. Id fieri solet per modestiores quorum verecundia lites execratur, & abradi sibi aliquid patitur, potiùs quàm ut ad extremum pertendat, idque nullam continet Juris diminutionem aut confessionem, cùm datum ad redimen-

mendam vexam, Bellum, aut dissidium fraudi esse non soleat.

Quæ porrò Author adjungit de divisibilitate, vel indivisibilitate Ducatûs Brabantiæ fol. 83. & seq. ut indè exæquet Principatum cum cæteris feudis Brabanticis, vix operæ pretium est hic iterùm attingere; cùm satis enodata fuerint in Tractatu de Jure Devolutionis Cap. 21. Exempla aliquot quæ hic de novo adjungit tantum abest ut probent quod intendit, ut è contrario indivisibilitatem de qua agimus stabiliant, maximè si paulò altius repetamus & expendamus aliorum Ducum successiones quas ille omisit: non enim de quavis divisibilitate vel indivisibilitate hic agitur, sed de ea dumtaxat quæ circa feuda Brabantica consideratur ex legibus feudorum ejusdem Provinciæ; ubi duas tertias utilitatis & emolumentorum aufert primogenitus, altera tertia inter post genitos dividenda, quod negavimus locum habere aut unquam habuisse in ipso Ducatu, & constanter etiamnum negamus.

14. *Edit. Holl. fol.* 65.

In rem & causam nostram sufficit nunquam talem divisionem inter liberos Ducis factam fuisse, ut secundò geniti tertiam partem Ducatûs sibi vindicarint & inter se diviserint: sed semper contenti esse jussi sunt vel assignatione alicujus prædii illustris, vel certæ pecuniæ numeratæ summâ non ad

æſtimationem alicujus quotæ puta tertiæ, ſed ſimpliciter & abſtractìm ſecundùm arbitrium ut veriſimile eſt propinquorum.

15. Oſtendamus ergo quod diximus per exempla ſucceſſionum Ducalium, & Partitiones ac aſſignationes bonorum inter liberos factas, ubi occurrit primo loco Godefridi tertii ſucceſſio, ex qua nihil aſſignatum eſt filiis ejus Alberto Epiſcopo Leodienſi, aut Godefrido Lovanienſi, aut Guillielmo Lovanienſi, præterquam quod huic poſtremo Dominium de Perweys datum eſt, quod vix centeſimam partem æquat ejus quod ſecundùm leges feudorum illi deberetur. Ubi & hoc obſervandum ſi ſecundùm jus Devolutionis ſucceſſio & diviſio facta fuiſſet, nihil pœnitùs de bonis paternis ad Guillielmum pervenire poterat, utpotè ſecundo thoro genitum.

Patri ſuo Godefrido tertio ſucceſſit Henricus IV. qui cum duos haberet filios, ſcilicet Henricum V. ejus ſucceſſorem & Godefridum, poſterior à Fratre ſuo obtinuit mille libras Lovanienſes annuas, quas uti feudum teneret à dicto ſuo Fratre, ſexcentas quidem pecuniâ numeratâ, & quadringentas per aſſignationem prædiorum, in vim cujus Dominium Leewenſe ſancti Petri eidem aſſignatum eſt, quod ad Hæredes ejus deinde tranſiit: filiæ verò

quæ

quæ erant numero ſeptem dote pecuniariâ contentæ eſſe debuerunt.

Joannes primus ſucceſſit Henrico tertio, Henrici quinti ſucceſſori, cujus Frater Godefridus pro ſuo appanagio habuit ter mille libras Turonenſes annuas, in cujus ſummæ ſecuritatem idem Joannes primus conſtituit Dominia Arſchotanum, Sichenenſe, Betecomenſe, Weertenſe alioſque pagos tenendos in feudum & hommagium à ſuo memorato Fratre. Quibus omnibus exemplis ſummâ diligentiâ ex Archivis & regeſtis Brabantiæ erutis per virum harum rerum percurioſum irrefragabiliter convincitur nunquam in ſucceſſione Ducum uſurpatum fuiſſe, ut triens Ducatus Brabantiæ inter ſecundò genitos per modum quotæ divideretur, quemadmodnm fieri ſolet in feudis Brabantinis quidquid per tenues ſpeculatiunculas more ſuo tentet diſtinguere Obſervator.

Omnino verò non video quid utilitatis in rem 16.
ſuam captare voluerit ex duobus exemplis à Divæo relatis, ubi Ducatus & Marchia ſimpliciter & ſine diminutione adſcribuntur primogenito, adeoque tota dignitas, totaque poteſtas, atque Regio: nam qui ſimpliciter rem dicit, totam dicere intelligitur. Secundò genitis verò certa bonorum corpora ceſſerunt, quæ non diminuunt Ducatum, ſed tantum

tum qualitatem bonorum mutant ut fiant feudalia quæ erant allodialia, ſed utroque caſu æquè Duci ſubjecta, & Ducatui annexa.

17. Species quinta probationis contra Devolutionem dignitatis Ducalis erat, quod publicè & apud omne genus hominum recepta opinio ſit fueritque ſemper excelſam & ſupremam poteſtatem exemptam eſſe à jure plebeo Devolutionis, indeque factum ut cum prædia domanialia tempore viduitatis Philippi Quarti publicè ſubjecta fuerunt diſtractioni & licitationi, nemo ullius ordinis homo refugerit emere aut dubitaverit de vinculo Devolutionis.

Ad quod Argumentum cum nihil haberet ſolidi quod reponeret Obſervator, dilapſus eſt ad frivola quædam, quæ ſunt apinæ tricæque, & ſi quid vilius iſtis; & aliquid ex veteratoriis artibus mutuatus, ſuggerere cœpit quâ ratione emptores talium prædiorum ſibi conſulere & cavere poſſint. Non ignoramus vulgaria iſta quæ accumulat, veluti, non dependere Devolutionem aut validitatem emptionis ab opinione eorum qui emunt, poſſe etiam alienationem bonorum devolutorum quemdam ad modum ſuſtineri, ut in Tractatu de Devolutione probatum eſt, talia inquam probè novimus, ſed nihil ad rem noſtram faciunt ejuſmo-

di

di quæstiunculæ, hoc solum est quod volumus, publicam persuasionem, quæ resultat ex jam dictis, junctam cum aliis Argumentis momentum suum habere ad ostendendum Devolutioni Ducatûs & eorum quæ indè pendent locum in Brabantia non esse.

Sexta Animadversio contra Devolutionem Du- 18.
calem indicata erat brevibus cap. 21. ejusdem Tractatûs, quod licet communiter leges & consuetudines feudorum servientium sequi oporteat quando dubitatur quo jure feuda regenda sint, indubitatum tamen sit, id locum neutiquam habere quando Dominanti feudo ejusque successioni specialis lex imposita est, nec posse recurri ad consuetudinem vulgarem feudorum servientium, quando feudo Dominanti singulari constitutione provisum est masculos fœminis præferri; uti id factum per constitutionem Philippi Imperatoris anni 1204. quæ constitutio ab Authore observationum oppugnata, jam expedita & enodata superiori dissertatione no-
strâ, firmius Argumentum præbet adversus Devolu- 19.
tionem dignitatis Ducalis, Argumentum, inquam, cui non est ut Gallia refragetur, quæ ubi de commodis ejus agitur istas etiam regulas de sequenda consuetudine feudorum servientium spernere consuevit, amplecti jubens contrariam regulam de

F sequen-

ſequendis legibus feudi Dominantis: quod ne leviter à me dictum exiſtimetur.

Septimo loco prodeat in medium ſolemnis nupera diſceptatio de jure Succeſſionis Ducatûs Britanniæ hauſta ex Archivis & monumentis Regiis Galliæ, & per Conſiliarium Regium *du Puy* publico donata, ubi referens Argumenta juris Iſabellæ Hiſpaniarum Infantis in Libro *des Droits du Roy ſur le Duché de Bretagne*, cap. 3. Fundamentum reſponſionis in eo conſtituit ex parte Regis, quod mores municipales & provinciales vim ſuam non poſſint exerere in dignitates principales, quæ ſpeciatim jure publico reguntur, quam controverſiam malo ipſius verbis quàm meis proferre.

L'Infante d'Eſpagne Iſabelle demeure d'accord avec le Roy, que les deſcendans de Pentievre, de Rohan & d'Aurange n'ont rien au Duché de Bretagne, mais à diverſes fins: car elle ſouſtient que ledit Duché luy appartient par le decés du Roy Henry III. ſon Oncle par repreſentation de la Reyne d'Eſpagne Eliſabeth ſa Mere, ſelon la diſpoſition de la Couſtume de Bretagne,

gne, par laquelle és ſucceſsions feudales les Enfans maſles ou femelles repreſentent leurs Pere & Mere. Que ſi la Reyne Eliſabeth euſt ſurveſcu Henry III. ſon Frere, par la meſme Couſtume elle euſt recueilly comme Aiſnée la ſucceſsion dudit Duché, par conſequent elle qui eſt ſa Fille. Ad quod Argumentum reſpondens ita proſequitur.

Si ce different eſtoit entre particuliers & regnicoles, il ſemble que l'Infante d'Eſpagne avoit quelque apparence de Droit par le moyen de la Couſtume dont elle ſe veut ſervir: mais eſtant tout public & tout Royal, decidé par les Droits publics de la France, connus de tout le Monde; il y a lieu de s'eſtonner comme l'on a oſé leur preferer des Couſtumes Locales, qui ne reglent que les differens des particuliers.

Ecce quomodo Natio deſultoria & levis de ipſa Juſticia ludos facit. Leges, quibus æquum erat mores ut aptarent ſuos, adaptant ſibi & ſervire faciunt cupiditatibus ſuis. Si ſuadet utilitas populari jure 21.

 uti,

uti, illud omnibus machinis defendatur, ſi nocet popularis conſuetudo, eatur in alia omnia. Viſne aliud huic ſimile ſpecimen? Quantis encomiis nunc Gallia celebrat, nec immeritò, Sereniſſimæ Reginæ ſuæ dotes ac virtutes, quàm benignè ſentit in ſcriptis nuperis de Regimine & Imperio ſexûs feminini, quia id ſuæ cauſæ jam congruum eſt: Si quis neſcit, & vaſſivus eſt, legat ampullas & ſeſquipedalia verba quæ Author jurium Reginæ Chriſtianiſſimæ tam cumulatè paſſim effundit, ac ſpeciatim in fine capitis de Brabantia, ubi hæc habet.

Quod ſi ad ea juris præſidia, & authoritates quibus hæc cauſa munitur, Reginæ Chriſtianiſſimæ præclaras dotes, virtutum omnium decus, natalium claritatem, & Auguſti connubii dignitatem adjungamus; an ullæ poſſunt pretioſiores gemmæ Brabantiæ coronam exornare? An illa majori gloriâ, ſplendore, & opibus decorari, aut denique firmioribus munimentis poteſt ſtabiliri? Et Elogiis quidem Reginæ Chriſtianiſſimæ facilè ſubſcribemus, ſed averſamur tot varietates & contradictiones quibus ſcripta Gallica ita plena ſunt, ut exclamare cogant,

Quo

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Cùm verò agitur de Lege Salica & de excludendo ſexu ſequiore à Regimine & Imperio Gallico, eandem Legem laudibus in Cœlum vehunt, & pro lege naturali habendam contendunt. *La Loy Salique,* dit du Puy au Livre des Droits du Roy de France, *n'eſt autre que la Loy de nature gardée en la Maiſon de France.* Item.

Ils ont raiſon de dire que l'on ne trouve ny commencement, ny eſcriture de cette Loy Salique, ou Françoiſe: car la Loy de Nature eſt née avec les hommes, & eſt un Droit non eſcrit.

Quid hoc aliud eſt quàm ex eodem ore calidum & frigidum efflare, & omnia ſus deque habere emolumenti ſui causâ?

CAPUT IV.

Continens farraginem reliquarum ineptiarum nullo ordine per librum sparsarum.

SUMMARIUM.

1. *Objectio Observatoris malè à me propè solo sustineri proprietatem bonorum devolutorum manere apud parentem superstitem.*
2. *Responsio ad eandem objectionem, quâ occasione narratur iterum res gesta de lite quadam Curiæ Clientelaris.*
3. *Responsio ad authoritatem Kinschotii & Christinæi, ab Observatore objectam.*
4. *Tres novæ difficultates motæ ab Observatore circa Renunciationem Reginæ Christianissimæ, prima & secunda quomodo legibus locum demus in rejiciendo Aresta quædam Gallica allata à Loüet, & non demus locum legibus in materia Renunciationum, tertia quomodo approbemus Renunciationem Devolutionis per quam jus quæsitum est liberis.*
5. *Responsio ad duo priora.*
6. *Responsio ad tertium.*
7. *Novum Argumentum pro validitate Renunciationis Reginæ Christianissimæ, sumptum ab instrumento renunciatorio Margaretæ Austriacæ & Burgundicæ.*
8. *Quisquiliæ quædam everruntur.*

His ita expeditis quibus præcipuæ quæstiones continentur, respondendum superest ad ea quæ sub titulo Secundæ Partis conjessit, partim anteà adhuc tacta & soluta, partim de novo fabricata,

ta, & novis circumstantiis vestita, in quibus primo loco conqueritur his verbis.

Expedit palàm demonstrare, quid in hoc negotio expectandum sit ab homine, qui cogitationes suas omnium ferè Jurisconsultorum comprovincialium sententiis, ac legis ipsius expressis verbis preferendas esse censet, 1.
deindè adductis meis verbis in hunc modum prosequitur. *Quamvis autem verba consuetudinis adeo perspicua sint, nec egeant faciliori ac dilucidiori interpretatione, nihilominus Deductionis Author bonorum devolutorum proprietatem superstiti ex duobus conjunctis assignare non veretur, neque eam ad liberos per Matrimonii dissolutionem transire concedit. Et illud est quod probare nititur Capitibus* 1. 2. 5. 6. 7. *ac passim in posteriori hoc Tractatu.*

Quod ait inprimis me propè solum esse in ista 2.
opinione quam suscipit oppugnandam, longissimè abest à vero, cùm major Pragmaticorum & Jurisperitorum Belgii pars in eandem hodiè eat sententiam,

tiam, quæ & pluribus exemplis & rebus judicatis nunc firmiter ſtabilita eſt: de cujus rei fide & circumſtantiis ut eo magis liqueat, æquitatem imploro omnium cordatorum, qui de re imbuti fuerint, ut rei geſtæ, ubi occaſio tulerit, teſtificatione ſuâ non deſint.

Sic igitur res ſe habet, cùm in Judiciis & Tribunalibus noſtris, præſertim in ſupremis Brabantiæ Curiis ordinariâ & Clientelari jam pridem diſceptata fuiſſet hæc ipſa quæſtio: An proprietas rerum Devolutarum tranſiret ad liberos Devolutarios, an apud Parentem ſuperſtitem remaneret, & diverſi Conſulti Juris diverſa reſponderent, ac ſubindè Tribunalia quoque variarent, incidit tandem ante annos circiter novem caſum in eadem Curia Clientelari in terminis terminantibus, uti loquimur, ventilari, eaque lis in multos annos producta eſt ab iis, quæis lites pendere diu vindemia quædam eſt, donec per decretum interlocutorium probatio Conſuetudinis partibus litigantibus utrimque indicta eſt: Auditi deinde Juriſconſulti omnis ordinis tùm ſingulatim, tùm per decurias, exhibitæ veteres conſultationes Advocatorum, producta deindè exempla rerum ſimiliter judicatarum, magnâ expectatione omnium animi erecti & attenti ut finis imponeretur controverſiæ quæ quotidiè Tribunalia vexa-

vexabat. Cunctis diu multumque expensis uniformi suffragio omnium Judicum, qui numero novem, plaudente foro terminata lis est in eam partem, quâ proprietas adscribitur parenti superstiti, non liberis Devolutariis. Ac partium quidem nomina indicata sunt in priori Tractatu scilicet *Theodori van Uffle Actoris, contra Viduam Advocati Kimps*: quibus nunc & Judicum adscribimus. D. D. Henricus Dongelbergh Regius Brabantiæ Consiliarius, Baro de Revez. Joannes Cuyermans Regius Brabantiæ Consiliarius. Leo de Pape Regius Consiliarius & Brabantiæ Fisci Patronus. Anthonius Locquet tunc Brabantiæ, nunc Regius in Hispania Consiliarius. Henricus de Liemput Regius Brabantiæ Consiliarius. Philippus Ryckewaert Regius Brabantiæ Consiliarius, Toparcha de Tiberchamp. Andreas del Marmol rei maritimæ in supremo Concilio Regius Consiliarius, nunc Prætorii Regii Judex. Andreas Kerrenbroeck Consistorii Brabantini Advocatus. Enarratio verò causæ seu relatio mihi erat commissa. Paulò post decisam hanc causam quidam è pervicacibus & vinci nesciis eandem quæstionem renovare tentavit in eadem Curia, sed rursum judicio superatus, omnium Judicum suffragiis documentum novum dedit inconcussam mansuram eandem definitionem. Partium nomina erant

Margaretæ de Buſlyden, Domina de Noderwyck, & Eliſabetha Tibanti. Judices verò D. D. Anthonius Locquet, tunc Brabantiæ, nuc Regius in Hiſpania Conſiliarius. Philippus Ryckewaert, Franciſcus Franxen, Philippus Carolus Eſpallaert Regii Brabantiæ Conſiliarii. Andreas del Marmol rei maritimæ in ſupremo Concilio Regius Conſiliarius, nunc Prætorii Regii Judex. Ægidius Buſlyden, Andreas Kerrenbroeck Advocati.

Quæ cùm ita ſe habeant & publicè in oculis omnium geſta ſint, quâ fronte Obſervator tam confidenter aſſeverare poteſt me propè ſolum in ea eſſe ſententia quam ille oppugnat? Illâ nimirum fronte quâ res luciḍiſſimas obſcurare & corrumpere ubique non veretur. Quod ſi locus pateretur poſſemus centuriam integram Juriſperitorum omnis ordinis, & ex pleriſque Tribunalibus adducere, qui in duabus dictis cauſis teſtificati ſunt in eam partem, quæ judicio iſto comprobata eſt.

Quantum autem ad authoritates Kintſchotii & Chriſtinæi quas in contrarium Obſervator adfert, tantumdem ad rem faciunt, quàm ſi ipſa verba conſuetudinis, quibus ipſi tantum utuntur, nobis objiceret; ita enim Kinſchotius. *Tunc enim Pater aut Mater ſuperſtes, feudorum*

tam

tam patrimonialium, quàm acquiſitorum proprietatem tranſmittit ad liberos, retento ſolo uſufructu hæreditario. Chriſtinæus verò in hunc modum. *Si vir vel uxor quibus liberi ſuperſunt, moritur, ad prolem unam vel plures per ſeparationem thori proprietas feudorum provenientium ex latere ſuperſtitis devolvitur, ſervato ſuperſtiti ſolummodò eorumdem feudorum uſufructu hæreditario, quem* Erf-tocht *vocant.* Quæ cùm ſint conſuetudinis verba, de quorum interpretatione contenditur, non ſunt per ſe idonea ad deciſionem quæſtionis, quæ petenda eſt ex aliis rationibus quàm ex cortice eorumdem verborum. Satis ſit nobis quod ſecurè quieſcere in ea opinione jam poſſimus, quæ etiam tot ſolidis Argumentis ſtabilita eſt, ut metuendum non ſit ne poſtea, aliis rationibus adductis, deſtruatur. Quod ſi libeat Obſervatori contra rationes in Tractatu de Devolutione adductas diſputare, hoc agat, Ecce *hîc Rhodus, hîc ſaltus.* Sed nihil movendo contra ipſa Argumenta, deblaterare contra res judicatas, hominis eſt infruniti, & linguæ petulantis.

Verùm ſupervacaneum eſt tricis iſtis diutiùs in-

ſiſtere, quandoquidem tandem Obſervator illud ipſum nobis concedat, & pro indifferenti habeat quod volumus, his inter alia verbis fol. 128.

Edit. Holl. fol. 93.

Si quidem juxta principium generale ejuſdem Authoris proprietas apud ſuperſtitem remanet, nec ad liberos per Matrimonii diſſolutionem tranſit. Huic regulæ, ſi ipſi libeat, facilè acquieſcam, quandoquidem id ſum pollicitus, &c. Item folio 147. *Quid enim revera ſcire intereſt an Devolutio ſit ſucceſſio, vel non ſit, an proprietas ad Devolutarium tranſeat, vel ſuperſtiti remaneat, cùm nihilominus in Devolutione reperiatur impotentia alienandi in perſona ſuperſtitis, ſicut & excluſio conſtans liberorum ſecundi thori?*

Fol. 107.

Poſt hæc tranſit Obſervator ad materiam Renunciationis Reginæ Chriſtianiſſimæ, hoc eſt de calcaria in carbonariam, de qua cùm copiosè à nobis actum ſit in Tractatu de Devolutione, ſuperfluum fuerit eandem hîc de novo diſcutere, præſertim cùm hoc præſtiterit etiam luculenter Author libri qui inſcribitur *Bouclier d'Eſtat & de Juſtice, &c.*

Quia

Quia tamen turpe ei videtur tacere, tria circa eandem renonciationem de novo importunè movet caſsâ nuce viliora, his ſequentibus verbis. Folio 125. & 126. item 128. *Edit. Holl. fol. 91. & 93 4.*

Primò *difficile eſt*, inquit, *animo comprehendere, quamobrem is qui leges & conſuetudines privatas in ſucceſsionibus Principum tam pertinaciter negarit, idem poſtea eam illis vim ac vigorem ineſſe velit, ut renunciationes, quæ iiſdem ſucceſsionibus fiunt, regere valeant.*

Secundò *difficile etiam eſt conjicere, quâ ratione Deductionis Authori inter omnes iſtas leges privatas, libeat præferre legem Franciæ, legi Brabantiæ, vel Hiſpaniæ, quandoquidem iſtæ ſunt leges Domicilii Reginæ, ac ſitus bonorum quæ in quæſtionem cadunt; quod quidem in hiſce caſibus ex omnium conſenſu perpetuò ſpectari conſuevit.*

Tertiò ait *eas ſaltem renunciationes eſſe invalidas, quæ factæ ſunt ſucceſsioni jam acquiſitæ, quoniam, ut aiunt Authores qui*

de his scripserunt, veluti Georgius Loüet ac Julianus Brodeau, juri certo & acquisito renunciari non potest.

Itaque perspiciendum est, an renunciatio quæ juri Devolutionis facta est, juri incerto ac dubio facta sit, quale est jus futuræ successionis, an verò juri certo ac constanti. Et quidem, quantum ad hoc, Deductionis Author causatur Devolutionem non esse jus certum, quia non est proprietatis successio, siquidem juxta principium generale ejusdem Authoris, proprietas apud superstitem remanet, nec ad liberos per Matrimonii dissolutionem transit.

5. Respondetur verò ad duo priora quæsita, leges quidem privatas seu privatorum personis & rebus scriptas non comprehendere ipsos Principes aut Principatus, ut jam luculenter ostensum est: Sed leges universales sine discrimine personarum aut rerum latas ipsos etiam Principes obligare, eorumque actiones dirigere, apud Observatorem & Collegam ejus Rhetorem in confesso est.

Exemplum prioris partis cernere est in legibus feu-

feudalibus Brabantiæ, quæ diſertè loquuntur de feudis dependentibus à Ducatu Brabantiæ, quæ non alia ſunt quàm privata, itemque de eorumdem Profeſſione Clientelari, de laudimiis præſtandis, aliiſque ejuſmodi, quæ in ſolos homines privatos, eorumque res quadrant.

Secundæ verò partis exempla innumera peti poſſunt ex Conſtitutionibus Regiis Galliæ, ad quas commentarium ſcripſit *P. Rebuffus*, itemque ex celebri codice Henriciano. Quæ verò, obſecro, in eo contradictio eſt leges privatas plebi dictatas ad ſolam plebem pertinere, & leges publicas quæ concernunt omnes, & indefinitè ac generatìm latæ ſunt, & receptæ ab ipſis Principibus, eoſdem vi ſuâ adſtringere? Non adduximus autem pro firmitate dictarum renunciationum leges Gallicas ſolas ac præcipuas, ut contendit Obſervator, ſed adjunximus Hiſpanicas, Germanicas & Belgicas, & adjungere poſſemus totius propè Europæ, ſi res exigeret.

Quod dicitur de legibus univerſalibus, idem intelligi debet de conſuetudinibus generalibus præter vel contra jus commune introductis, quas vim legum obtinere, & legibus etiam derogare ſæpiùs conſtitutum eſt, ut videre licet ex titulo Codicis *Quæ ſit longa conſuetudo.* Conſuetudinibus autem etiam adnumerari res continuò ſimiliter judicatas

ex

explorati juris eſt, non etiam ſi contra tenorem juris ſemel atque iterùm per Senatûs Conſulta aliquid deciſum ſit.

Conſuetudines verò & mores, qui jam ſæculis aliquot circa renunciationes, accedente rerum judicatarum frequentiâ invaluerunt, vim legis obtinere indubitatum quoque eſt.

Si profeſſione Juriſconſultus foret noſter Obſervator, & Themidis artibus excultus (quod vix eſt ut credam ob fœdos ejus lapſus & craſſos errores) deſineret mirari legem Franciæ urgeri præ lege Brabantiæ vel Hiſpaniæ, ut & à me factum eſſe contendit: didiciſſet enim jam pridem ex lege *Exigere ff. de judiciis*, & ex iis quæ ibidem notant Doctores, in controverſiis nuptialibus, cùm agitur quod forum, & cujus loci conſuetudines ſequendæ ſint, inſpiciendum ſemper eſſe Domicilium mariti, quo mulier per conditionem Matrimonii tranſitura eſt, eoque loco rem haberi ac ſi mulier tempore ipſius contractûs in Domicilio ipſius mariti habitaret, de quo videre licet *Coſtalium* Juriſconſultum celebrem Galliæ in adverſariis ad eandem legem. Quod ſi verò præter opinionem meam Juri quandoque operam dedit, turpe & probroſum ei eſſe debet, jus in quo quotidiè verſatur, ignorare.

6. Tertio loco contendit Obſervator invalidas eſſe renun-

renunciationes quæ fiunt Juri Devolutionis jam acquiſito, & ſic non ampliùs incerto: Cui objectioni cùm in anteceſſum ſatisfactum ſit in Tractatu de Devolutione, ſubductis ibi fundamentis quibus hæc Obſervatoris ratiocinatio jam nititur, ſupervacuum eſt hanc Crambem hîc recoquere.

Ne tamen ex ſilentio noſtro aliquod præjudicium captet Obſervator, majoris claritatis ergò pauca quædam adjicienda ſunt. Conſtat inter eos qui naturæ Devolutionis jam gnari ſunt, eandem firmum jus adferre Devolutariis ſi ipſi ſupervivant Parenti ſuperſtiti, proindè certitudinem ſuccedendi quæ datur Devolutariis, dependere ab hâc conditione, quâ deficiente, ſi turbato ordine mortalitatis Devolutarii ante Parentem moriantur, ſecuritas omnis cum tota Devolutione evaneſcit, nec quidquam ad hæredes Devolutariorum tranſmittitur.

Qui Juriſprudentiam tantum à limine ſalutarunt, ſciunt ſecuritatem, pignus & hypotecham, etiam ſuper re dubia, incerta & conditionali rectè conſtitui, ſic traditum eſt pignus ſuper uſufructu conſtitui poſſe. *L. ſi is qui* 11. §. *ultimo ff. de pignoribus*: Cùm tamen per mortem uſufructuarii deficiat & extinguatur uſusfructus. Undè cavendum eſt à ſpuria regula Obſervatoris quam obtrudere nititur

Edit. Holl. fol. 94. his verbis. Fol. 129. *Revera oportet ut Deductionis Author consentiat, velit nolit, jus Devolutionis certum esse, cùm is qui securitatem proprietatis in hoc jure ait esse, certitudinem quoque in eodem agnoscat.*

Cùm igitur dicimus acquiri liberis securitatem succedendi, itemque jus ex Devolutione iis competere, id semper temperandum est hâc dictâ conditione, si liberi post Parentem vitâ fungantur.

Quare cùm hæc sit vera & realis incertitudo, quid vetat super eadem pacisci, & renunciationes interponere, cùm læsionem & damnum in præsens non adferant, sed in pendenti sit, utrum filiæ renuncianti lucrosæ an damnosæ futuræ sint? Quod solum exigunt duo illi Jurisconsulti toties laudati Georgius Louët, & Julianus Brodeau: Non est verò mirum Gallos Jurisconsultos de hâc explicatione nihil ante inaudivisse, cùm tota hæc materia Devolutionis ad hoc usque tempus ab illis fuerit ignorata; ac multò minus mirum de ipso Observatore, qui parum se profecisse in jure enodando hactenùs ostendit, qui licet jam acriter materiæ huic incubuerit, assequi tamen necdum potuit quo deveniat jus Devolutionis deficientibus liberis. Discat verò docendus adhuc hoc jure nos uti qui in media

Devo-

Devolutione verſamur, ut deficientibus omnibus liberis, non ad parentem proprietas revertatur quaſi ad hæredem liberorum (cùm numquam ab eo abceſſerit) ſed ita extinguatur jus omne Devolutionis, quaſi nunquam Devolutarii in rerum natura fuiſſent, quod rectè vocant Pragmatici *Florem ſine fructu deficientem.*

Si verò unus vel alter liberorum Devolutariorum deceſſerit ante Patrem, ad reliquos liberos tota Devolutio pervenit, & apud eos manet non jure accreſcendi, ſed jure quodam non decreſcendi, qui eſt Fori noſtri, & vicinorum Tribunalium certiſſimus uſus, uti teſtatur *D. Mean* locis in priore noſtro Tractatu deſignatis, quem convelli nunquam patiemur per argutiolas Gallorum pro commoditate cauſæ, & ſtudio adulandi nunc effictas. Ex quibus ſequitur renunciationem Devolutioni factam æquè validam eſſe, atque ſunt quæ fiunt futuris ſucceſſionibus, refragante quidem jure communi Romano, ſed adſtipulante conſuetudine longævâ omnium penè Nationum; quæ conſuetudo in illuſtribus Familiis nata non eſt heri vel nudiuſtertiùs, ſed antè ſæcula aliquot: Cujus rei exemplum luculentum ſuppeditat renunciatio Margaretæ Auſtriacæ ac Burgundicæ anni 1494. ab Olivario Vredio exhibita in probationibus Genealo-

giæ Flandricæ Pag. 426. sequentibus verbis.

7. *Marguerite Archiducheſſe d'Auſtriche, &c. Fille de tres-haut, tres-excellent & tres-puiſſant Prince, Maximilian par la Clemence Divine, Roy des Romains, touſiours Auguste, &c. Et de feüe de tres-digne memoire, Dame Marie, en ſon vivant Archiducheſſe d'Auſtriche, Ducheſſe de Bourgogne, de Brabant, Comteſſe de Flandre, &c. Renonce, &c. du droit qu'elle a, ou peut avoir, és Duchez, Terres, Pays, Seigneuries, & Biens de ſes Parens, tant à cauſe que les Enfans maſles de la Maiſon de Bourgogne ont touſiours ſuccedé ſeul, & pour le tout en toutes Duchez, Terres, & Seigneuries, poſé qu'ils ayent eu Sœurs une ou pluſieurs, que pour la conſtitution de Dot de deux cent mil Ducats, en avancement de Mariage, avec Jean Prince de Castille, &c. Donné en la Ville de Malines le xxii. jour de Mars,*

Mars, l'An de Grace 1494. *avant Pasques.*

Ex quibus cùm manifestè liqueat in Domo ac Familia Burgundica hanc esse pervetustam, ac fuisse semper velut sacram Consuetudinem, quâ Filiæ in gratiam masculorum abstinent ab omni successione, eaque tota ad masculos transeat: Quid est tandem quod quæri apud æquos rerum æstimatores possit Regina Christianissima ejusdem Domûs & Sanguinis particeps rectâ serie, si eodem jure habeatur quo majores omnes Domûs ejus inoffensè usi sunt?

Alicubi venit Observatori in mentem fol. 100. & fol. 110. sustinere, quod nomine *Masculorum hæredum* non veniant nec intelligantur alii masculi quàm primi thori, proindè quod dicitur in Constitutionibus Imperatorum Philippi ac Caroli quinti, itemque in responso Cancellarii Brabantiæ ad postulationem Regis Bohemiæ reddito, *Non admitti ad Ducatum Brabantiæ fœminas quamdiu masculi hæredes extabunt*, interpretandum esse de masculis primo thoro genitis, & ex consequenti tunc Ducem Brabantiæ mori sine masculis hæredibus, etiam quando ex secundo Matrimonio masculos relinquit: quam sententiam Observatoris re-

8. *Edit. Holl. fol. 72. & 81.*

tulisse, refutasse est. Quis enim fando audivit unquam in fideicommissis & substitutionibus, ubi usus hujus clausulæ frequentior est & quotidianus, talem interpretationem? Quæ si procederet respectu masculorum, tentari quoque posset circa hanc clausulam frequentiorem, *Si sine liberis defungatur*, accipiendo liberos pro solis genitis ex priori thoro, quod quàm novitium & peregrinum sit in jure, quàmque dignum Observatore, nemo est qui videat. Hanc absurditatem usque eo provehere audet Observator, ut Constitutionem Caroli quinti, quæ loquitur de masculis capacibus ad succedendum, de solis iis intelligi velit, qui primi thori sunt, quasi secundi thori liberi inhabiles dici possint ad succedendum, idque ita senserit Carolus Imperator. Si fortè velit dicere (quod obscurè balbutit) verba dispositionum generalium temperanda esse ex influxu consuetudinis Devolutionis, petit rursùm more suo principium, & supponit Devolutionem ibidem vigere, etiam circa publicam successionem, quod ipsum est in controversia: interim dum consuetudo ista non ostenditur, terminis claris & naturalibus, qui comprehendunt utriusque thori liberos, inhærendum est.

Non tam unda trudit undam, quàm error unus Observatoris alteri succedaneus est, ut ecce negat

negat quidquam intereſſe ſiveDevolutio ſit quædam ſpecies ſucceſſionis, ſive non, his verbis: fol. 147. *Quid enim revera ſcire intereſt, an Devolutio ſit ſucceſſio, an proprietas ad Devolutarium tranſeat, vel ſuperſtiti remaneat?* Edit. Holl fol. 107.
Quod ſi Obſervator legiſſet & intellexiſſet Tractatum de Devolutione Cap. 5. n. 1. & ſeq. reperiſſet quantùm interſit inter Succeſſionem & Devolutionem ex exemplis ibidem relatis, quodque uno caſu hæreditas diverſo modo deferatur quàm alio.

Neſcio etiam quid ſibi velit Obſervator tam multa garriendo & accumulando de Henrico dicto Brabantino Filio ex ſecundis nuptiis genito ex matre Sophia, Ludovici Thuringiæ, Haſſiæque Landtgravii, & Sanctæ Eliſabethæ Filiâ, qui non ideo à Brabantino Ducatu excluſus fuit, quod ex ſecundo Thoro eſſet procreatus, ſed quia Fratrem habebat ſe ſeniorem & primogenitum Henricum Tertium, ut ex Hiſtoricis noſtratibus liquet:

Quonam igitur hæc tam putida tendunt. Si ad oſtendendum Devolutionem circa Principatum locum tunc habuiſſe, id vanum ac futile eſt?

Audet etiam Obſervator refricare memoriam, & in exemplum adferre illaudabilem Sententiam in Senatu Pariſienſi ſedente Philippo Pulchro latam anno 1309. quâ intellectum & deciſum eſt,

Comi-

Comitatum Artesiæ ad Mathildem pertinere juxta localem Provinciæ consuetudinem, quæ jus repræsentationis non admittit.

Undè inferre nititur etiam in Principatibus locales consuetudines attendendas esse, cujus rei gestæ latiorem narrationem suppeditat *Chop. Lib.* 3. *tit.* 3. *de Domanio Franciæ*, sed peremptoriam refutationem idem Author suggerit eodem loco, his verbis.

Quod si in causa illa Atrebatica, Robertus ad falsi præstigias non confugisset, technasque tanto viro indecoras, haud dubiè masculus fœminæ non succubuisset: Sive masculam Panagii conditionem intueamur, sive naturalem, quæ Nepotes ad avita bona jure proprio vocat, æquitatem. Proindè nil moror prædictæ consuetudinis Atrebaticæ barbariem, quæ civilia jura tollere potest, naturalia non potest. Ob idque suspicantur memoriæ scriptores, gratiosam fuisse priorem illam Regis sententiam nec trahendam ad exemplum; quia Mathil-

dis

TRACTATVS DE JURE DEVOLUTIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Devolutio Conſuetudinaria.

SUMMARIUM.

1. *Occaſio ſcriptionis.*
2. *Devolutionis aliquot effectus*, *uſque ad num.* 8.
9. *Definitio Devolutionis.*
10. *An recte dicatur* anticipata ſucceſſio, *vel* inchoata ſucceſſio.

APud omnes quidem Gentes cultiores eſt aliquis honos & prærogativa primarum Nuptiarum, & Liberorum qui ex iis geniti ſunt, ſed nuſquam tanta quam apud Brabantos & vicinas aliquot Nationes, apud quas diſſoluto primo Matrimonio, ſive ſecundum ſequatur ſive non, Liberis iſtius Thori obveniunt bona omnia immobilia utriuſque Parentis; priùs qui-

dem defuncti per legitimam ſucceſſionem inteſtati: ſuperſtitis verò, & adhuc viventis per Devolutionem, cujus vi bona illius addicta & affecta ſunt liberis iſtis proprietate tenus, conſuetudine injiciente vinculum ſuperſtiti, ne ea alienare poſſit, ſed conſervare omnia teneatur integra, donec ex cauſa ſucceſſionis pleno jure Liberi primi conjugii ea acquirant, quod vinculum conſuetudinarium, *Devolutionem* vocamus. De cujus natura & efficacitate ideo aliquid commentandum ſuſcepi, quod viderim Pragmaticos noſtros & forenſem popellum perpetuò hanc rem ut incertam certare, & litibus complere Tribunalia, cùm jam tritura judiciorum & rerum judicatarum auctoritas finem rixis & vi-
1. tilitigiis impoſuiſſe debeat. Minuendis proindè litibus hæc opera à me ſuſcipitur, ne ſemper diſputetur, in quo ſita ſit Devolutionis natura; an ſpecies quædam ſit anticipatæ ſucceſſionis, an aliud quidpiam; utrùm proprietas devoluta revera ſit apud Liberos, an apud Parentem ſuperſtitem; De his enim & ſimilibus, niſi ſemel conſtiterit, de hoc argumento judicia omnia vacillare neceſſe erit.

Movit etiam quòd vicinos Populos craſſis hallucinationibus deluſos, aliter de Jure iſto ſentire videam quàm ſentiendum ſit, undè pernicioſi erroris anſa ſubinde arripitur.

Primùm igitur de effectibus Devolutionis ſummatim dicendum eſt, ut indè quæ ſit ejus natura & vis colligi poſſit.

Conſtat inprimis diſſoluto Matrimonio Parentem 2.
ſuperſtitem, cui Liberi inde ſint, non poſſe bona ſua immobilia alienare, pignori dare, aut de iis quoquo modo diſponere, quamdiu illi vivunt; Sed habet ſuperſtes plenam utendi, fruendi, poſſidendi & adminiſtrandi facultatem, ſine onere cautionis, aut reddendarum rationum.

Secundò, dum durat Devolutio, non poſſunt li- 3.
beri quidquam eorum bonorum attingere, nec uti, frui, poſſidere, neque etiam alienare, aut de iis diſponere, non ſolùm de uſufructu, ſed nec de proprietate illa nuda, quam conſuetudines dicunt, ad eos eſſe devolutam, ut infrà oſtendetur.

Tertiò, proprietas devoluta ſine dubio reali vin- 4.
culo Liberis primi Conjugii eſt affecta & affixa in ſecuritatem futuræ Legitimæ ſucceſſionis, in cujus præjudicium quidquid à ſuperſtite Parente agitur nullius eſt momenti, habentque Liberi actionem in rem ad ea bona vindicanda, ſi ad alium poſſeſſorem devenerint.

Quartò, Conjux Superſtes non eſt nudus uſu- 5.
fructuarius bonorum Devolutorum, ſed habet jus quoddam pinguius & plenius quàm ſit uſusfructus

communis, quem *formalem* vocant interpretes, unde non ſimpliciter in conſuetudinibus vocatur *Tochtenaer*, hoc eſt uſufructuarius, nec uſusfructus ille dicitur ſimpliciter *Tocht*, ſed *Erf-tochtenaer*, & *Erf-tocht*, quo ſignificatur proprietatem junctam & mixtam eſſe tali uſufructui, cum lingua Belgica *Erf* ſignificet proprietatem, & fundiarium jus, unde vocabulum *Erf-man* deſignat proprietarium, & *Erf-pachter* colonum perpetuarium, qui utile Dominium in re habet, conſequenter verbum *Erf-tocht* rectius vertemus *uſumfructum fundiarium*, quam *hæreditarium* ut vulgò vertunt, cum nihil commune habeat uſusfructus ille cum hæreditate vel ſucceſſione. Novum verò non eſt uſumfructum adſcribere illi qui proprietatem habet, cum duplex ab interpretibus juris ſtatuatur uſusfructus, unus *Formalis*, qui ſeparatus eſt à proprietate, alter *Cauſalis*, qui cum ſua cauſa ſeu proprietate conjunctus eſt, in quam poſtremam ſpeciem incidit conſuetudinarius hic uſusfructus, quem *Erf tocht* dicunt. *DD. paſſim ad rub. de Uſufructu.*

6. Quod verò pleniùs jus ſuperſtiti competat quam ſit uſusfructus formalis, argumento eſt, quod Liberis iſtius Matrimonii omnibus vitâ functis, ſuperſtes plenum Dominium in iis habeat, non quaſi de novo acquiſiverit titulo ſucceſſionis à Liberis (cum

id

id quod dicimus, locum habeat etiam cùm alius eſt Hæres liberorum) ſed tanquam nihil unquam Juris ab eo abceſſerit, undè nec alienationes, quas interim fecit eorum bonorum, reſcinduntur ab Hæredibus Liberorum, ſed ratæ manent ut infrà latius dicendum eſt.

Liberi etiam ad quos proprietas devoluta eſt à legibus municipalibus & pragmaticis, non dicuntur ſimpliciter *Proprietarii*, aut *Domini* eorum bonorum, ſed ſemper ferè cùm aliqua additione, *Proprietarii nudi*, *Domini in ſpe*, *Domini ſub conditione*, *ſi Parenti ſuo ſupervivant*, *&c.* Nihil verò prohiberet eos dici abſolutè *Dominos*, ſi proprietas revera apud eos eſſet, licet ſejuncta ab uſufructu: nam *rectè dicimus eum fundum totum noſtrum eſſe*, *etiam cùm uſusfructus alienus eſt*, *l.* 25. *ff. de verb. ſign.*

Quintò, Proprietas bonorum devolutorum, ut infrà apparebit, revera manet apud Parentem ſuperſtitem, ſed imperfecta, & velut ſopita propter prohibitam alienationem omnem & diſpoſitionem in fraudem Liberorum iſtius Thori, undè non malè alicubi vocatur Devolutio, *Proprieté bridée*, ſeu *Frænata proprietas*: ad Liberos verò nihil aliud tranſit per devolutionem quam ſecuritas habendi & fruendi bonis devolutis, ſub conditione, *ſi ipſi Parenti ſuo ſupervivant*, quâ conditione deficien- 7.

te, non inconcinnè alicubi, *Flos ſine fructu*, Devolutio vocatur.

8. Sextò, conſtabit infrà multum intereſſe inter *devolutionem* & *ſucceſſionem*, & alio prorsùs jure & effectu bona prædefuncti Parentis ad Liberos pervenire, quàm quæ à ſuperſtite ad eos devolvi dicuntur. Iſta quippè ſtatim à morte Parentis alienare poſſunt, ſi aliud nihil obſtet, veluti infirma ætas: frui etiam ac uti, niſi conſuetudo uſumfructum ſimplicem ſuperſtiti loco Doarii concedat; hæredes inſuper fiunt defuncto Parenti. Quorum nihil habet locum reſpectu bonorum quæ à ſuperſtite devolvuntur.

9. Ex hac delineatione effectuum devolutionis videtur hæc definitio concipi poſſe, ut ſit *vinculum quod per diſſolutionem Matrimonii conſuetudo injicit bonis immobilibus ſuperſtitis conjugis, ne ea ullo modo alienet, ſed integra conſervet ejuſdem matrimonii Liberis, ut in ea ſuccedere poßint, ſi Parenti ſuo ſuperfuerint, vel ipſi, vel qui ab ipſis nati fuerint, excluſis Liberis ſecundi vel ulterioris Thori.*

10. Sunt qui devolutionem ſpeciem eſſe dicant *Anticipatæ ſucceßionis*, ut Henr. Kinſchotius reſponſo 76. num. 27. alii volunt eſſe *Inchoatam ſucceſsionem quæ perficitur morte ſuperveniente Superſtitis conjugis*, ſed hæ deſcriptiones præterquàm quod remotæ ſint,

&

& vim rei non ſatis exprimamt , fundantur ſuper exemplis diſſimilibus & locis Juris huc neutiquam applicabilibus , nam in *l. 25. ff. de inoffic. teſtam. item in leg. 56. §. ult. ff. ad leg. Fal.* (undè formulæ iſtæ petitæ ſunt) agitur de rebus quæ donantur futuro Hæredi per modum prælibationis., vel anticipationis Hæreditariæ , quæ ad eum vivente donatore tranſeunt pleno jure tam Dominii quam uſusfructus, quod ſecùs eſt in devolutione , ubi uſusfructus & poſſeſſio cum naturali ac radicali Dominio manet apud ſuperſtitem Conjugem , Liberis autem acquiritur quædam *nuda*, *civilis* , *ficta* , & *ſub conditione* proprietas, quæ reipſa non aliud eſt, quàm ſecuritas habendi ſi Parenti ſuo ſupervivant , quod infrà diffuſius dicetur.

Apparet ex jam dictis, duas eſſe quaſi partes ſeu primarios duos effectus Devolutionis , primò quod Parens ſuperſtes non poſſit bona ſua immobilia alienare : ſecundò quod Liberi primi conjugii excludant Liberos ſecundi ab eorumdem bonorum ſucceſſione.

CAPUT II.

Quibus in Regionibus & locis vigeat Jus Devolutionis.

SUMMARIUM.

1. *Omnia Feuda Brabantica subjecta sunt Devolutioni.*
2. *In Districtu Lovaniensi omnia immobilia subsunt juri Devolutionis.*
3. *Quid obtineat Bruxellæ & Antverpiæ circa Devolutionem.*
4. *Quid obtineat in territoriis vicinis Uckelensi, Santoviensi & Doornensi.*
5. *Quid item Sylvæducis, Lyræ, Trajecti ad Mosam, Genapiæ.*
6. *Partes Brabantiæ quæ Devolutionem non agnoscunt.*
7. *Limburgum & Ditiones Trans-Mosanæ subjacent Devolutioni in bonis privatorum.*
8. *Vicinæ quædam Regiones quo jure circà Devolutionem regantur.*
9. *In Germaniæ quibusdam locis viget Devolutionis Jus.*
10. *Cautela contra Devolutionem Germanis usitatam.*
11. *Galliæ & Jurisconsultis Gallis ignota est Devolutio; & hallucinationes Chopini indè natæ deteguntur.*

1. IN primis per universam Brabantiam subsunt Juri Devolutionis bona omnia feudalia, quæ Duci Brabantiæ accepto feruntur, & ab eo tanquam Domino directo dependent. Id testantur consuetudines ipsæ feudales Brabantiæ, auctoritate publicâ collectæ, & in scriptum redactæ à Curia ipsa clientelari, atque exhibitæ deinde Duci Albano, harum Provinciarum nomine Regis Gubernatori an-

no

no 1570. quas omnes ſciunt uſu obſervari.

Dictæ conſuetudines ſub titulo de ſucceſſione Feudorum Articulo 22. ſtatuunt diſertè & generatim, *Separatione thori Liberos indè natos fieri proprietarios Feudorum quæ ſuperſtes habebat, & ſuperſtitem manere ſolummodò eorundem Feudorum uſufructuarium hæreditarium, ſeu fundiarium.*

Articulo 23. *Statuitur talem proprietatem morte prolis vel prolium devolvi ulterius ad eorum Liberos, iiſque deficientibus ad eorum Fratres & Sorores.*

Articulo 24. Sancitur, *Si tales liberi aut liberorum liberi decedant ſine legitima ſobole revertitur talis proprietas ad Patrem, Avum, vel Proavum, ita ut is iterum fiat pleno jure Dominus Proprietarius.*

Hæc aliaque complura de Feudis Brabanticis ibidem diſponuntur, hoc eſt quæ beneficio Ducis à privatis tenentur & recognoſcuntur; ad Ducatum autem ipſum interpretatione extendi nequeunt, ut infrà dicendum.

Deindè bona omnia immobilia etiam allodia 2.
& cenſalia ſita ſub reſſortu ac ditione Lovanienſi Juri Devolutionis ſubjecta ſunt, prout conſuetudo illius diſtrictûs auctoritate Principis roborata apertè definit, nam *Articulo undecimo ſub titulo de ſucceſſionibus* ſtatuit *uno è Conjugibus moriente ad Liberos illius matrimonii devolvi & obvenire proprieta-*

tem bonorum omnium immobilium quæ dicti Conjuges & quivis eorum tempore obitus primi morientis poßidebant, ita ut ſupervivens dicta bona in totum vel pro parte nequeat diſtrahere, obligare, alienare, aut de iis diſponere, ne quidem inter dictos Liberos. Verba ipſa textus linguâ noſtrâ Vernaculâ ſunt, *Devolveert ende verſterft de proprieteyt ende erfdom, &c.*

Hoc verò ſingulare ſtatuit eadem Conſuetudo *Articulo* 12. *dicti tituli*, ut ſi mulier vidua liberos habens ex priore conjugio tranſeat ad ſecundas nuptias, atque alios inde liberos ſuſcipiat, omnes utriuſque thori æqualiter & in capita ſuccedant; ita ut hac in parte melior ſit mulierum conditio quàm virorum, qui conatus omnes adhibuerunt anno 1622. quando ad incudem revocati ſunt conſuetudinis Articuli ut æquari mulieribus poſſent, quod obtinere nequiverunt: Sed quoad reliquos effectus Devolutionis eadem omnia in mulieribus locum habent quæ in viris.

3. In Urbe Bruxellenſi & Antverpienſi & Pomœriis ac territoriis eiſdem cohærentibus Jus Devolutionis non agnoſcitur niſi in bonis feudalibus, ſed territoria quædam non procul à dictis Urbibus ſita, Juri iſti ſunt obnoxia, veluti ditio Uckelenſis ſita in agro Bruxellenſi, quæ Pâgos plurimos com-

complectitur, uti videre est ex *Articulis* 4. 6. 10. & 11. Consuetudinum ejusdem districtûs auctoritate publicâ collectarum: uti & districtus universus Santoviensis & Doornensis in Regione Antverpiensi situs, ubi non tantùm obtinet Jus Devolutionis in bonis ipsius districtus, sed & in iis omnibus quæ sita sunt in pagis & locis quæ in materia appellationis jurisdictiones istas agnoscunt, uti ostendit *Articulus* 4. earumdem Consuetudinum auctoritate Principis recens confirmatarum. 4.

Ex iis quæ de Urbe Bruxellensi diximus apparet falli *Præsidem Everardum* qui in *Responso* 136. generatim scribit Bruxellæ locum esse Juri Devolutionis, quem errorem etiam errat *Renatus Chopinus de moribus Parisiorum lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 7.

Jure quoque Devolutionis utitur territorium Sylvæducense, itemque ager seu ambitus Urbis Lyranæ, oppidum quoque Trajectense ad Mosam, ac districtus Genapiensis. 5.

Hæ quas diximus Brabantiæ portiones devolutionem agnoscunt, reliquæ non paucæ respuunt, nam præter Antverpiam & Bruxellam Urbes, exemptæ sunt ab eo jure Urbs Breda, ac circumjacentes Pagi qui Baronatum Bredanum constituunt: Bergosoma quoque ejusque ager qui Marchionatum Bergensem componit: Herentallium insuper ac Lyranum oppi- 6.

 dum,

dum, itemque Nivella cum ſuo diſtrictu, Turnhoutana quoque & Ryenſis ditiones plures Pagos complexæ, jus iſtud ignorant.

7. Extra Brabantiam verò Jure Devolutionis reguntur Ducatus Limburgenſis, ac reliquæ ditiones Trans-Moſanæ quæ jam olim Brabantiæ annexæ facilè in ejus mores tranſiverunt.

8. Geldriæ quoque Ducatum aiunt periti illius Regionis, Jure Devolutionis regi, qui utrùm in totum conſentiant hac in parte cum Jure Devolutionis Brabanticæ, exploratum nondum habeo.

Aliæ quædam vicinæ Provinciæ aliquos effectus devolutionis admittunt, ſed nomine devolutionis non utuntur, ſic in Hannoniæ Comitatu patri viduo, qui filium habet ex primo matrimonio, non licet alienare patrimonialia feuda, etiam quæ poſt ſolutum matrimonium ei obvenerunt, uti ſtatuitur per Conſuetudines ejuſdem Regionis *Cap.* 94. *Articulo* 8. Quòd ſi filiam tantùm habeat ex primo conjugio & filium ex ſecundo, alienare pater poterit, quod in Brabantia ſecus ſe habet, ubi neutro caſu talis alienatio permiſſa eſt.

Hæc inſuper differentia eſt inter utramque Regionem, quòd apud Hannones filius ſecundi thori præferatur in ſucceſſione inteſtata feudali filiabus prioris thori, quod juri communi Feudorum etiam

con-

consentaneum est, sed in Brabantiæ illa parte quæ devolutionem recipit id non obtinet respectu allodialium vel communium Feudorum, à quibus argumentum duci non posse ad ipsum Ducatum infrà ostendetur.

Apud Namurcenses Liberi primi thori addicta sunt bona omnia immobilia quæ conjuges illius thori possederunt, exclusis liberis secundarum nuptiarum, quibus in vicem & compensationem addicuntur omnia tempore illarum nuptiarum quæsita.

Apud Leodienses itidem vicinos nostros devolutioni quoque locum esse, videre licet ex *Articulo* 123. *& sequentibus aliquot Consuetudinum* ejusdem Regionis, quas eleganti Commentario illustravit D. Carolus de Mean, districtûs illius & vicinarum ditionum Papinianus, & quamvis non in omnibus cum Brabantica Devolutione consentiant, in eo tamen quod primarium est conveniunt, quòd immobilia ex primo matrimonio procedentia pertineant ad Liberos indè natos, exclusis his qui ex sequentibus nuptiis procreantur; quodque nec Parens superstes, nec Liberi ad quos proprietas consuetudinaria devoluta est, alienare bona ista possint, de quo vide dictum D. Mean *observatione* 87. 112.

In multis quoque Germaniæ superioris Regioni- 9.

 bus

bus locum esse Juri Devolutionis scribit Mynsingerus *Centuriâ* 5. *observatione* 32. his verbis: *In multis Germaniæ locis pro consuetudiue observatur ut mortuâ matre, tamen superstite patre, bona immobilia fiant propria Liberorum (quæ dicuntur affecta Liberis) ita ut pater tantùm usumfructum in iis habeat.*

Apparet delineatam esse rudi minervâ Devolutionem nostram Brabanticam, de qua idem Mynsingerus magis dilucidè in aliis quibusdam observationibus.

10. Quia verò hæc observatio admodum dura est Parentibus, scribit *Jacobus Riccius in Commentario suo de unione prolium cap.* 1. indè natum esse ut frequenter contrariis pactionibus in Germania Conjuges derogent consuetudini Devolutionis, & conventiones ineant de servandâ æqualitate bonorum inter proles quæ ex diversis conjugibus natæ fuerint, quales tractatus ibidem vocant *Uniones prolium*, de quibus qui uberiùs instrui volet, adire poterit Germaniæ Jurisconsultos.

Porrò loca quæ suprà dixi uti Jure Devolutionis recenset *Henricus Kinschotius in tractatu de facultate testandi de Feudis cap.* 6. *&* *resp.* 65. secundùm statum sui ævi etiam Nivellam complexus quæ tunc Devolutione utebatur, & posteà uti desiit ubi Principes auctoritate antè paucos annos recognitæ prodierant.

In

In universâ Gallia nullibi videtur esse locus Devolutioni, cùm *Chopinus* dicto loco colligens omnes consuetudines quæ huic Juri appropinquant, non potuerit vel unum exemplum ex Gallicis adducere, quæ Devolutioni locum dent, sed tantum mores Urbis Lovaniensis, & Bruxellensis, circa quos tamen etiam hallucinatus est, primum in eo quod Urbi Bruxellensi adscripserit Devolutionem quæ ibi non obtinet, secundò quod Lovanienses viduas perperam huic Juri generatim subjecerit, cùm suprà dictum sit Liberos ex eis natos secundo Thoro, æqualiter cum primis ibi concurrere. 11.

Adeò incognitum est Jus Devolutionis Gallicis Scriptoribus, ut disertissimus Jurisconsultus ubi materiâ postulante mentionem injicere debuit, statim non uno modo lapsus sit, ut rectè facturi videantur Galli si à jure tam peregrino & exotico se abstinuerint.



C A-

CAPUT III.

Quibus in bonis locus sit Devolutioni.

SUMMARIUM.

1. *Devolutio pertinet ad immobilia omnis generis.*
2. *Viduus secundas nuptias iniens ligatur Devolutione circa noviter acquisita, & quomodo id intelligendum.*
3. *Immobilia & mobilia quænam dicantur remissivè.*
4. *Usu fori non habentur pro immobilibus etiam fundi nisi inhæredatio per operas legis præcesserit.*
5. *Potest maritus constante matrimonio talia bona alienare in quibus inhæredatio facta non est.*
6. *Superstes Conjux talia bona lucratur quasi mobilia.*
7. *Vetus distinctio DD. an actiones mobiles sint vel immobiles.*
8. *Argumenta contra dictam fori opinionem.*
9. *Ex ista tamen opinione non sequitur eum qui ex Conjugibus solus inhæredatus est Dominum fieri in solidum.*
10. *Etiam Conjux non inhæredatus acquirit dimidium conquæstuum etiam Feudalium.*
11. *Quæ sit ratio illius Juris.*
12. *Declaratur natura societatis conjugalis.*
13. *Nullum Jus reale acquiritur regulariter nisi per operas legis.*
14. *Inhæredatio non suppletur possessione decennali sed tricennali.*
15. *Conjux superstes lucratur bona defuncti etiam immobilia quæ consistebant in actione personali.*
16. *Consuetudo Lovaniensis quasdam res mobiles habet pro immobilibus.*
17. *An istius consuetudinis effectus porrigatur ad ultimas voluntates.*

1. CONsuetudines quæ Juri Devolutionis locum dant, subjiciunt eidem res omnes immobiles superstitis Conjugis tam Feudales quam Allodia-

diales, tam patrimoniales quam Acquiſitas, ſive ante matrimonium ſive eo conſtante acquiſitæ ſint. Quòd ſi is qui viduus factus eſt aliqua bona de novo in viduitate ſua acquiſiverit, immunia quidem ſunt à Devolutione quamdiu viduus manet, eaq́ue alienare liberè poteſt, etiamſi tranſierit ad ſecundas nuptias, ſed ſi in ſecundam viduitatem incidat, & ex iterato connubio liberos habeat, bona acquiſita durante viduitate, ad Liberos ſecundi matrimonii devolventur, ita tamen ut Liberi primi Matrimonii ab illorum ſucceſſione non excludantur, & ſi ſecundi Thori Liberi ante Patrem moriantur facultas de iis diſponendi ad Patrem ſuperſtitem revertatur. Cujus poſtremi hæc evidens ratio eſt, quod cum exiſtentia Liberorum ſit cauſa finalis iſtius devolutionis, his è medio ſublatis ceſſare debeat devolutio, & vinculum ei cohærens: priùs verò inde evincitur quod ſecunda devolutio inſtituta non poſſit illi ut diminuat jus ſucceſſionis primorum Liberorum: nam unicè ſervit ad cuſtodiendam legitimam ſucceſſionem ſecundorum Liberorum, minimè vero ut alienam ſucceſſionem turbet aut minuat; quod fieret ſi illius intui- 3.
tu Liberi primi thori non eſſent participes bonorum quæſitorum conſtante ſecundo matrimonio. Hæc tamen ita niſi particularis conſuetudo aliud dictet, qualis eſt conſuetudo Namurcenſis de qua cap. ſuperiori.

2\. Quænam porrò res comprehendantur ſub *immobilibus*, & quænam veniant nomine *mobilium*, latè ab Authoribus Juris tractatum & diſputatum eſt.

Quas prolixas controverſias hic reſumere neque animus, neque otium eſt; tum quòd uſu ac triturâ fori certam definitionem pleraque acceperint quæ ambigua erant: tum quòd à propoſito noſtro alienum ſit communes quæſtiones quæ in cujuſvis generis materias incidunt hic congerere; ſed ea ſolùm
3\. attingere & exponere, quæ huic materiæ propria ſunt. Si quis interim circa communia iſta inſtrui volet, adire poterit poſt veteres Auctores *P. Peckium in Tractatu de Teſtam. conjugum lib.* 5. *cap.* 30. *Argentreum ad conſuetudinem Britanniæ. Art.* 219. *&* 48. *Tiraquellum de retractu gentil.* §. 1. *Gloſſ.* 1. *Cocquille in inſtitutionibus forenſibus ſub tit. Quelles choſes ſont meubles.*

4\. Inprimis valdè ſingulare eſt quod uſu conſtanti fori noſtri jam ſervatur (excipimus conſuetudines quaſdam particulares) immobilia omnia quæ naturâ ſuâ talia ſunt, & ſitum habent, puta prædia ruſtica & urbana, non aliter pro talibus haberi quoad effectus Juris, quàm ſi per inhæredationem & operas
5\. Legis realiter acquiſita ſint, idque non ſolùm obtinet reſpectu Devolutionis, ſed etiam intuitu communionis conjugalis, lucrorum nuptialium, alio-

aliorumque ſimilium articulorum, quorum reſpe-
ctu pro mobilibus habentur, & legem mobilium
ſubeunt, fundi & res omnes ſitum habentes, pro
quibus habendis tantùm competit actio perſonalis,
licèt etiam in poſſeſſione ſit is qui comparavit, &
cui ex contractu res debetur. Sic Maritus durante
communione conjugali poteſt bona immobilia Uxo-
ris ſuæ in quibus ipſa vel Authores ejus quibus ſucceſ-
ſit ſolemni ritu inhæredati non ſunt, & pro quibus
adipiſcendis actionem perſonalem tantùm habet, li-
berè alienare, quia jure iſto non pro immobilibus,
ſed mobilibus tantùm habentur actiones omnes
perſonales: qui enim emit v. g. non rem ipſam con-
ſecutus eſt, cùm nudis contractibus dominia non
transferantur, *l. non nudis Cod. de pactis.* Sed opus 6.
habet ſolenni traditione, verùm emptor ſolam
actionem perſonalem contra venditorem acquiſivit,
quæ proinde ſola ejus facta eſt, non etiam res ipſa,
vel jus in ea reale. Atque ex eodem fundamento ille
qui ex duobus Conjugibus alteri ſuperſtes eſt, lucratur
ejuſmodi bona Conjugis prædefuncti tamquam me-
ra mobilia ſint, atque intuitu eorum quæ ſuperſtes ipſe
eo modo habet & poſſidet, nulla Devolutio eſt quæ
in iſtis tantùm bonis effectum habet, quæ reali jure,
& per mancipationem publicam ejus propria ſunt,
& pro quibus perſequendis actionem realem habet.

7. Et iſta quidem eſt juriſprudentia hodierna fori noſtri, ſecundùm quam videmus quotidie judicia reddi, tam reſpectu feudorum, quàm aliorum bonorum, & quam ego natam exiſtimo ex ſubtili ac doloſa interpretatione contra torrentem Doctorum & Pragmaticorum veterum, tam noſtratium, quàm Gallorum, atque adeò contra veram juris rationem.

Bona eſt diſtinctio & à pleriſque tandem recepta, quâ dirimitur controverſia, an actiones perſonales accenſendæ ſint mobilibus an immobilibus, ſcilicet ut id æſtimetur à re quæ actione petitur, quæ ſi immobilis ſit, actio quoque immobilis habeatur: ſi res mobilis petatur, actio etiam mobilis exiſtimetur: quam diſtinctionem amplectuntur & laudant plerique Galliæ Juriſconſulti ut *Tiraquel de retractu gentilitio Gloſſ.* 7. *Argentré*, *Peckius*, *Cocquille d. l.* quorum poſtremus dicit hâc ratione ſopitam eſſe *difficilem & ſophiſticam contentionem in qua Doctores cum umbra ſua luctabantur.*

Cùm verò & noſtrates Doctores eamdem diſtinctionem approbaverint, ut videre eſt apud *Peckium d. l.* & *P. Gudelinum ad regul. juris cap.* 18. *n.* 10. qui conſuetudines noſtras ad eum modum interpretandas eſſe cenſet; veriſimile eſt nondum eorum ævo, ſed à paucis annis invectam hanc doctrinam, quam in earum numero poſſumus collocare, quæ ex com-

communi errore jus fecerunt, de quibus *l. 39. ff. de legibus.*

Eam verò refellunt juris regulæ quæ dictant, 8.
eum qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videri: qui actionem l. 15. ff. de regulis juris, item *id apud se quis habere videtur de quo habet actionem: habetur enim quod peti potest l. id apud 143. ff. de verborum significatione.* Et si quis dixerit has regulas intelligendas esse de actione in rem seu rei vindicatione, quæ sine operis legis seu solennitate inhæredationis per mores nostros non acquiritur, atque ita sensum esse, eum qui actionem realem habet, ipsam rem habere ac possidere censeri; exstant alia juris loca quibus idem de actione personali quæ ad adipiscendam rem competit, traditum est. Etsi enim nostrum propriè non est quòd non possumus vindicare, tamen quodammodò acquisitum nobis dicitur de quo actionem habemus in personam *l. quintus in* §. *Argento*, & *l. scribit* §. *nam eo ff. auro & argento Legato*, & pervenisse dicitur quòd exigere licet, *l. si verò* §. *dabit ff. soluto matrimonio*, atque adeò generaliter *inter bona nostra numeratur quod est in actionibus, petitionibus, persecutionibus l. bonorum 49. ff. de verborum significatione*, atque è diverso quod evinci à nobis potest seu actione aliquâ auferri id in bonis nostris nume-

randum non est *l.* 108. *aliàs* 205. *ff. & regulis juris.*

Quòd si actioni personali accesserit naturalis possessio & fruitio, tantò magis res talis videtur nostra dici posse, cùm interdicta possessoria pleraque in rem sint, atque ita jus aliquod reale adferant detentori, quo tamen etiam casu volunt Pragmatici res soli sic possessas immobilibus non adnumerari, sed habendas pro mobilibus, quamdiu solemnis & legitima mancipatio ad plenum peracta non est.

Etsi verò hæc ita de jure se habeant, non patietur tamen facilè turba forensis opinionum suarum tenacissima à suo dogmate se dimoveri. Citiùs Herculi clavam quàm observationem ejusmodi usu firmatam leguleis excusseris.

9. Cui consequens videbatur si constante matrimonio à Conjugibus acquisita esset res immobilis, & unus Conjugum, puta Maritus, solus per operas legis inhæredatus, omissâ muliere; jus reale non utrique, sed illi soli qui nominatus est in instrumento mancipationis seu in actis publicis, quæsitum esse, quia omne momentum situm sit in inhæredatione, & ille solus proprietarius qui inhæredatus, & consequenter ex ea sola parte Devolutio ubi proprietas. Sed contrarium sine hæsitatione hodie obtinet, scilicet res à Marito comparatæ constante matrimonio statim pro dimidio Dominii ad utrumque Conjugem spectant,

li-

licèt ipſe ſolus inhæredatus ſit. Quod non tantùm obtinet in bonis Allodialibus aut Cenſualibus, ſed etiam in feudalibus, uti jam olim ſolemni ſententiâ judicatum fuit in ſuprema Brabantiæ feudali Curia *9. Junii* 1505. in cauſa *Liberti van Hautem Impet. contra Mariam vander Sproet Citatam.* 10.

Apud Burgundiones idem obſervatur ut videre eſt apud *Chaſſan. ad Conſ. Burg. Tit. des Droits des Gens Mariez* §. 2. *verb. acqueſt. n.* 14. At Mechliniæ circa feuda aliud obtinet *Tit.* 10. *art.* 15. *Conſuet. Mechlin.*

11. Si quis miretur quomodo citra legis operas & recognitionem Curiæ Clientelaris jus reale acquiratur mulieri: Ei reſpondebitur id fieri ex vi ſocietatis conjugalis, quam conſuetudo hac in parte æquavit ſocietati univerſali, cujus effectus eſt ut acquiſita ab uno Sociorum ſine traditione communicentur & tranſeant ad alios ſocios *l.* 1. *&* 2. *ff. pro ſocio.*

12. Societas quæ hodie viget inter Conjuges, non eſt quidem univerſalis, cùm immobilia cujuſque Conjugis pleriſque locis ei propria maneant *Rodericus Zuarez de lucris nuptial. cap.* 1. *n.* 58. hunc tamen effectum ſocietatis univerſalis acquirendi invicem ei tribuit conſuetudo, *Didacus à Seguira de lucris Mariti, &c. n.* 68.

Vel rectiùs fortè dicemus quòd licèt conjugalis ſocietas, particularis ſocietas ſit, Maritus haben-

dus

dus ſit non ſimpliciter ut ſocius, ſed ut inſtitor & præpoſitus ſocietati ad quæſtum faciendum in commune: factum autem & acquiſitio inſtitoris omnibus ſociis prodeſt, & proprietatem in commune redigit, non minus ac factum mandatarii, qui mandanti etiam abſenti & ignaro dominium & poſſeſſionem acquirit in iis cauſis, ubi nomine Procuratorio contrahit & negotiatur. *L. reo ff. de duobus reis L. ejus qui in Provincia ff. ſi certum petatur Pet. de Ubaldis de Societate part. 9. Lopez de lucris Mariti & Uxoris cap. 6. n. 3.*

Diſſolutis igitur nuptiis dimidium acquiſitorum non de novo ad Uxorem pervenit, ſed intelligitur ab initio acquiſitionis ejus Dominam fuiſſe, liberam autem adminiſtrationem conſequitur ſoluto matrimonio.

Hæc tamen communio, & Dominii à muliere acquiſitio à Pragmaticis dicitur conſtante matrimonio tantùm eſſe in *habitu*, & non in *actu*, & demum diſſoluto matrimonio exire ipſo jure in actum, eò quòd Maritus, dum conſtant nuptiæ, res acquiſitas liberè poſſit alienare ſine Mulieris conſenſu, quâ conſideratione etiam à nonnullis Mulier negatur partis ſuæ per id tempus eſſe domina, dum ſcilicet pendet an Maritus fortè in alium non tranſcribet, *Molinæus ad Conſuetud. Pariſ.* §. 37. *Gloſ.*

1. *Co-*

1. *Covar. Lib. 3. var. cap. 19. n. 2. Peck. de testam. Conjugum Lib.*

Extra casum memoratum communionis conjugalis & alios quosdam veluti ultimæ voluntatis, successionis intestatæ, divisionis hæreditariæ, per modum regulæ obtinet, proprietatem omnem & traditionem ejusdem, cum sequelis & connexis metiendam esse ex clausula inhæredationis, vel investituræ feudalis coram lege loci vel paribus Curiæ facta, quæ etiam Edicto Principum nostrorum *anni* 1611. renovata & confirmata est, ac sine controversia custoditur. 13.

Hanc verò solennitatem actorum publicorum, sunt qui scribant suppleri possessione pacificâ decennii, hoc est si acquisitor rei naturaliter incubuerit possessioni longo tempore, quod interpretantur de annis decem, ita *Papon Arestorum lib.* 8. *tit.* 6. *in notis Aresti primi.* Ubi refert sic aliquando fuisse judicatum, huncque Authorem secutus est *Francis. Zypeus in Analysi juris Pontificii ad tit. de pignor. sub finem.* 14.

Hæc res cùm aliquando in cognitionem nostram incidisset, censuerunt omnes id neque Juri esse consentaneum, neque moribus nostris, qui decennio nulla in re tantam vim tribuerunt, sed solùm lapsui tricennii, seu annorum 30. quam solam præscriptio-

nem agnoſcunt, & tantùm ex hujus temporis lapſu ſuppleri publicas ſolennitates inhæredationum admittunt.

15. Itaque licèt quis annis viginti quinque poſſederit fundem quem emit, non acquirat dominium aut jus ullum reale, ſed actionem ſolùm perſonalem habebit adverſus venditorem aut hæredes ejus, quâ cogere eos poſſit, ut ſolemnem illam coram Magiſtratu ceſſionem, traditionemque peragant. Secundùm verò Conſuetudines noſtras plurimum inter hæc intereſt, non tantùm circa Devolutionem, ſed & circa lucra nuptialia, cùm pleriſque locis Conjux ſuperſtes lucretur omnes res defuncti, etiam prædia, fundos, reditus, in quibus defunctus nunquam inhæredatus fuit. Atque ſic judicatum *in Julio* 1644. in cauſa *Baronis de Wemmel Act. contra Dominam de Rodoan Citatam.*

16. Uti quædam res naturâ ſuâ immobiles, vi Conſuetudinis habentur pro mobilibus, quòd plenâ mancipatione non ſint acquiſitæ, ita etiam vice versâ quædam conditione ſuâ mobilia vigore Conſuetudinis habentur pro immobilibus, tam in materia ſucceſſionis, quàm devolutionis & alibi, eo ſolo excepto, quòd Maritus conſtante matrimonio eadem liberè poſſit alienare diſpoſitione inter vivos ſine permiſſu Mulieris, quod non habet ibidem tam univerſaliter

ter locum in iis rebus quæ propriè & naturaliter immobilia ſunt, nam à poteſtate ejus exempta ſunt patrimonialia Uxoris, ſive antè ſive ſtante matrimonio ei obvenerint, itemque durante connubio quæſita, in quibus ipſa vel ſola vel cum Marito inhæredata eſt, atque ita ſtatutum eſt Conſuetudine Lovanienſi *Cap.* 12. *Art.* 2. *&* 11. in quo poſtremo ſingulatim recenſentur quæ hujus commatis mobilia ſunt, quibus nomen inditum eſt *prædiorum volantium*, Vernaculè *vlieghende erven*, *heritages volants*, & non tantùm in eo numero ſunt gemmæ, margaritæ & annuli, aurum & argentum inauratum, aliaque prætioſiora, verùm etiam pulvinaria & lecti, menſæ, lecticæ, ſcabella, armaria ex duriore ligno fabricata, aliaque vilis ſupellectilis ſpecies, quæ undè dignitatem iſtam nacta ſit, ut villis, ſylvis & ædibus, aliiſque prædiis comparetur, juxta cum ignorantibus ſcio, niſi fortè ſit quòd ſolidiora mobilia quadamtenus ipſis ædibus ex deſtinatione patrum familias, cohærere videantur, & pro parte ipſarum ædium æſtimentur.

Circa hunc Articulum aliquando controverſiam ſuſcitatam memini, an non tantùm ab inteſtato ob- 17.
tineat, ſed etiam in ultimis voluntatibus, quæ Lovanii conduntur, nomine immobilium, prædia hæc volantia quæ dicimus comprehendantur, an è con-

trario an relictis alicui mobilibus eadem à legato isto eximantur. Legatarius quàm amplissimè Legatum suum interpretabatur, & comprehendi mobilia ista volantia volebat, dicens verba naturaliter & in sensu communi vulgi esse accipienda, atque indè mentem testatoris colligendam. *L. Labeo ff. de supellect. legata.*

E diverso contra Legatarium faciebat, quòd testatores in dubio censeantur conformare se Consuetudini, atque usui recepto, & verba sua sic intelligere, uti dictant Statuta Municipii, ubi degunt, quæ semper tacitè influunt & temperant dispositiones ultimarum voluntatum, uti latiùs confirmat *Menoch. de præsumpt. lib. 4. ult. n.* 12. In quam etiam sententiam discesserunt Judices quorum cognitioni res commissa erat.



C A-

CAPUT IV.

Quæ ſit origo, ratio & æquitas Devolutionis.

SUMMARIUM.

1. *In quibus conveniant, & in quibus diſcrepent Devolutio Brabantica, & jus lucrorum nuptialium ſecundùm leges Romanas.*
2. *Cur Conjugi ſuperſtiti injiciatur vinculum & prohibitio alienandi prinſquam tranſeat ad ſecundas nuptias.*
3. *Tacitum pactum Conjugum ineſt Matrimonio de conſervandis bonis quæ adferunt, pro Liberis primi thori.*
4. *Hæc benè conſiſtunt, Devolutionem natam eſſe ex Conſuetudine, & fundari ſuper tacito pacto Conjugum.*
5. *Diſceptatio de incommodis Devolutionis, & utilitatibus contrariis, item de æquitate vel iniquitate ejuſdem.*
6. *Quæ ſit antiquitas Devolutionis in Brabantia?*

ETſi Jus Devolutionis conſuetudinarium ſit & diſſentaneum à Jure Romano, quo Liberi diverſarum nuptiarum æqualiter ſuccedunt Parentibus ſuis *Novella* 22. *de nuptiis* §. *Nec illud quoque*, nec alienare prohibetur Parens ſuperſtes bona ſua, tamen multùm affinitatis habet Devolutio cum jure lucrorum nuptialium quæ à defuncto Conjuge ad ſuperſtitem pervenerunt, hæc enim neque ſuperſtes alienare poteſt, cùm proprietas ſimiliter dicatur ad

Liberos pertinere, nec communicantur Liberis secundarum nuptiarum, ut videatur prorſus Devolutio indè originem ſuam ſumpſiſſe, quod paulò pleniùs explicandum eſt.

Jure Romano bona omnia quæ per diſſolutionem primarum nuptiarum obveniunt ſuperſtiti Conjugi ex ſubſtantia prædefuncti Conjugis, ſive ex teſtamento aut donatione causâ mortis, ſive ex pactis dotalibus, aut ex beneficio Legis vel Conſuetudinis, adducuntur & conſervanda ſunt Liberis illius matrimonii, nec poteſt ſuperſtes ea alienare, aut pignori dare; ſed uti, frui tantùm illæsâ proprietate: Liberi verò dum Parens viduus ſupereſt nullam habent eorum bonorum fruitionem, ſed nudam proprietatem, veluti in ſecuritatem futuræ ſucceſſionis poſt ſuperſtitis mortem. *L. fæminæ l. generaliter l. hac edictali §. his illud Cod. de ſecund. nupt. Novella 98. cap. 10. Quarum legum verba ſunt. Quidquid ſuperſtes Conjux ſive Maritus, ſive Vxor ex bonis prioris quolubet munificæ liberalitatis titulo fuerit aſſecutus, id totum integrum ad filios quos ex præcedente conjugio habuerit tranſmittat, nec quidquam ex iiſdem facultatibus alienandum in quamlibet extraneam perſonam præſumat, atque habeat poteſtatem poſſidendi tantùm atque fruendi in diem vitæ, non etiam alienandi facultate conceſſa, quo illibata ad libros bona &*

incor-

incorrupta perveniant. Item *ut superstes res ad se devolutas servare compellatur, & usufructu dumtaxat vitæ suæ temporibus patiatur, alienatione eorum penitus interdicta.* Quis hic non putet delineatum jus ipsum Devolutionis quod cap. 1. descriptum est? Illud solùm videtur in utroque diversum, quòd Devolutio comprehendat bona omnia immobilia quæ superstes habuit tempore soluti connubii; Jus verò Romanum restrictum sit ad ea bona quæ ex substantia defuncti, Conjugi superstiti obvenerunt, pro 1.
quarum tamen conservatione alia omnia bona tacito pignori obligantur *Novella* 22. §. *Sed quod sancitum.* Quanquam rursus Jus Romanum in eo pinguius sit, & generalius quòd non tantùm immobilia, sed etiam mobilia à defuncto profecta Liberis reservet. *d. l. his illud.*

Vinculum quidem & onus lucrorum nuptialium servandorum Liberis, in principio soli uxori impositum fuerat, non Marito, & tantûm illi in casum secundarum nuptiarum *d. l. fœminæ.* Sed posteà utrique pariter impositum est *d. l. generaliter*, & licèt abstineret superstes à secundis nuptiis, proprietas tamen dotis & donationis propter nuptias quæ illi per mortem prædefuncti obvenit jussa est pertinere statim à rupto thoro ad communes Liberos *d. Novella* 98. *cap.* 1. *in verbis sive ad secundas venerit nuptias,*

sive

sive non. Undè apparet utrumque jus sine respectu ad secundas nuptias vim habere.

Sed quæ ratio est injiciendi hujusmodi vinculi in
2. bona superstitis Conjugis antequam decurrat ad secundas nuptias, à quibus demum imminet periculum Liberis prioris thori secundùm illud D. Ambrosii *mutato concubitu Parentes à Liberis depravantur, ut præferant Liberos posterioris copulæ, prioris autem negligant?*

Ioan Ripa ad d. l. fœminæ quæst. 16. n. 26. hanc adfert rationem cur Justinianus *Novellâ 98.* statuerit dotem & donationem propter nuptias quam lucratur superstes ex judicio defuncti omnimodò ad Liberos pertinere, quòd ea liberalitas videatur potissimum intuitu & causâ communium Liberorum in superstitem collata à defuncto, conjectura ducta à communi Parentum voto & sollicitudine erga Liberos, qua quamoptimè eisdem prospicere volunt. Quæ voluntatis interpretatio cùm independens sit ab iteratione nuptiarum, non debuit in istum tantum casum Legis providentiâ dirigi; sed generaliter à separatione thori Liberis istius matrimonii prospectum voluit. Hanc autem rationem Justinianus attingit *d. Novell. 22. §. Si verò filios,* in verbis *tamquam ex causa Liberorum sibimet acquisitas,* hoc est, intuitu & ex affectione erga Liberos donatas vel relictas.

Simi-

Simili de causa Devolutio statim à soluto matrimonio bona superstitis Parentis Liberis addicit, quòd 3.
credantur Conjuges hoc animo & destinatione societatem conjugalem iniisse, ut bona spectabiliora, qualia censentur immobilia quæ adferunt, aut quæsituri sunt durantibus nuptiis ad communes Liberos perveniant. Huic tacito pacto quod per se satis firmum & efficax non erat, ut jus introduceret, Consuetudo robur adjecit, vinculum injiciendo bonis Conjugis superstitis, quo alligarentur istius thori Liberis quibus tacitè addicta erant; de bonis præmorientis Conjugis sollicita non fuit Consuetudo ut ea nexu aliquo ac securitate adstringeret; nam cùm is qui matrimonio prior immoritur nil præter sobolem suam possit præ oculis habere, metuendum non fuit ne sanguinis sui immemor extraneos illi præferret.

Quòd autem Consuetudo Devolutionis super tacito pacto Conjugum qui in matrimonium coëunt 4.
fundata sit, vel indè apparet, quòd possint vel ab initio, vel quandocumque posteà Jus Devolutionis sibi invicem remittere, vel testamento vel pacto, vel nudâ etiam unius voluntate ac relaxatione in alterius gratiam.

Est quidem Devolutio introducta in securitatem & favorem ipsorum Liberorum, sed hic favor &

ſecuritas quaſi concreditus eſt arbitrio & religioni Parentum, qui optimè conſulturi Liberis ſuis exiſtimantur, *L. nec in ea* 22. §. *ult. ff. ad l. Iuliam de adulteriis*, ſic ut præmoriens ſolâ voluntatis ſuæ in contrarium declaratione poſſit ſuperſtitem ab hoc vinculo eximere, eique permittere liberam de bonis ſuis diſpoſitionem cùm nuptiæ diſſolutæ fuerint.

Non eſt verò novum aut ἀσιστατον ut quidpiam à Conſuetudine dicatur eſſe & ſimul à tacita conventione: ſic in libris Juris invecta & illata in domum conductam pignori ſunt pro mercede locationis ex tacito pacto, & nihilominus dicitur id quoque conſuetudine introductum *l.* 4. *ff. de pactis l.* 4. *ff. quibus modis pignus vel hypotheca, &c.*

Igitur ſi tacito pacto quod contractui ſocietatis conjugalis ineſt, cùm ſolvitur matrimonium, derogatum non ſit à Conjugibus, Conſuetudo vinculum injicit bonis ſuperſtitis in confirmationem & robur ejuſdem pacti. Si autem derogatum ſit iſti tacito pacto, vinculum & ſecuritas quæ ut acceſſoria conſideratur, nulla poteſt accedere; ſed libera manet ſuperſtiti de bonis ſuis diſponendi facultas.

5. Hæc quidem quam dicimus affinitas Devolutionis cum Jure Romano, itemque taciti pacti interpretatio, efficiunt ut tamquam irrationabilis rejicienda

non

non ſit, ſed vires obtineat ſecundùm *cap. ult. extrav. de Conſuetudine.* Sed tamen negari non poteſt quin durum ſit, & aliquid ex iniquo trahat, Conjugem per ſolutionem matrimonii amiſsâ Uxore vel Marito, ſimul etiam bonis ſuis privari, ſeu illâ parte dominii quæ conſiſtit in facultate liberè diſponendi. Quid hoc aliud eſt quàm perpetuam viduitatem ſuperſtiti indicere, eique velut fibulam injicere, ablatis ſcilicet mediis quibus novam conditionem nuptiarum ſibi quærere poſſit? quæ res privatim & publicè nata eſt nocumentum adferre. Stabilitur etiam per Devolutionem enormis inter Liberos inæqualitas, dum ii qui ex primis nuptiis ſunt, totum patrimonium ſuperſtitis exhauriunt, ſi aliud nihil ſit in bonis, quàm quod Devolutioni ſubeſt. Undè evenit frequenter ut Liberis ſecundi thori parum ſuperſit, adeò ut legitima, & alimentis eis carendum ſit; cujuſmodi ſtatuta & conſuetudines, quæ legitimam tollunt, & multò magis quæ alimenta intervertunt, à gravibus Authoribus juris damnantur, & pro invalidis habentur, ut videre licet apud *Andream Gail. lib. 2. obſervat. 122. & Merlin. in Tract. de legitima, lib. 3. tit. 1. quæſtione* 1. Satiùs videbatur ſtudere æqualitati Liberorum; quæ mater concordiæ audit, & quo pleraque jura collimant, atque humanitas poſtulare videbatur, *ut æquales eſſent gratiâ, quos æqualis junxit*

natura, prout ratiocinatur Divus Ambroſius.

Fatendum eſt ineſſe Conſuetudini noſtræ duritiem & incommoda iſta quæ memorata ſunt. Nulla lex uſquequaque commoda eſt, ſufficit ſi majore ex parte atque in ſumma proſit; incommoda quibus obnoxia eſt Devolutio aliis utilitatibus compenſantur. Nemo ignorare poteſt moleſtias & triſtes eventus ſecundarum nuptiarum, & machinationes Vitricorum & Novercarum in Liberos primi matrimonii, quæ exaggerari ſolent *à DD. ad tit. Cod. de ſecundis nuptiis*. *Nulli* (inquit Seneca ad Helvid.) *non magno conſtitit, & bona Noverca.* His malis avertendis quæ excogitata ſunt remedia; improbari non poſſunt. Queruntur Vidui & Viduæ ſe novam conditionem nuptiarum non reperire, poſtquam bona ſua Devolutioni adſtricta habent, ſed contenti ſint decore primarum nuptiarum, atque uſurpent illud Didonis apud Poëtam,

Ille meos primum qui me ſibi junxit amores
Abſtulit, ille habeat ſecum ſervetque ſepulchro.

Habeant animo ſuo infixum Mulieres vetus dictum Porciæ, *Pudicam mulierem non nubere niſi ſemel.*

Verùm dicent ſe nec ſic evadere incommoda Devolutionis ſi abſtineant à ſecundis votis, cùm etiam

etiam Cœlibes eâdem lege premantur. Accipiant verò promptum & expeditum remedium quo incommoda omnia Devolutionis ſemel evadant, atque adeò iis prævertant, nimirum permittitur eodem jure Conjugibus in ipſo veſtibulo nuptiarum, vel iis durantibus in totum vel ex parte derogare Devolutioni, ut inferiùs patebit: non poteſt verò majus temperamentum ſeveræ Legis vel Conſuetudinis eſſe, quàm quòd non premat niſi volentem. Quod verò pertinet ad inæqualitatem Liberorum, notum eſt eam variis ex cauſis poſſe utilem eſſe, & nunquam ſic damnari ut propter eam ſolam Statutum vel Conſuetudo improbetur, uti nec ratione legitimæ, vel ſublatæ vel diminutæ; quam quia conſtituti ſeu poſitivi juris eſt, legibus & moribus tolli & reſtringi poſſe non dubitamus, quidquid in contrarium Authores diſputent: id enim omne mores noſtri quibus quotidie utimur refellunt & reſpuunt, ut neceſſe non ſit in quæſtionem hanc deſcendere. Aliud verò eſt de alimentis quæ neceſſitatem naturalem habent reſpectu Liberorum cujuſvis thori, quæ ſi revera ſublata ſint per eventum aliquem Devolutionis, adeò ut Liberi exhibere ſe non poſſint, iis ſuccurendum eſt, atque permittendum ut etiam bona devoluta ad Liberos primi thori, diſtrahi poſſint pro

alimentis Liberorum ſecundi thori, ſi aliæ facultates parentum non ſufficiant: in omni enim generali diſpoſitione excludente Liberos à bonis aut patrimonio parentum, ſemper excipua eſt cauſa alimentorum, cui nunquam poteſt intelligi eſſe præjudicatum. *L. cum ratio 7. ff. de bon. damnat. Surdus in tract. de alim. ac paſſim Authores de jure primogenituræ, &c.*

6. Quæ ſit antiquitas Juris Devolutionis apud Brabantos, in incerto eſt; viguiſſe volunt quidam ante quatuor ſæcula, & evincere ex ſententia Henrici Imperatoris, quâ pronunciavit anno 1230. non licuiſſe Duci Brabantiæ Henrico ſecundo, amiſsâ jam Uxore, alienationem facere *quorundam bonorum*. Sed ex ſola prohibitione alienationis non exurgere Devolutionem, neque eam ſententiam quidquam ad Ducatum ipſum Brabantiæ facere, quaſi iſte ſubjectus ſit Devolutioni, plenè inferiùs dicendum eſt.



C A-

CAPUT V.

An Devolutio ſit ſucceſſio, hoc eſt an tempore quo ſolvitur matrimonium Liberi ſuccedant in bona ſuperſtitis? an poſteà cùm ille moritur?

SUMMARIUM.

1. *Quòd Devolutio differat à ſucceſſione evincitur quòd alioquin emergant plures abſurditates quæ recenſentur.*
2. *Nominatim quòd confundetur ſucceſſio directa Feudalium cum ſucceſſione laterali.*
3. *Conſuetudines feudales diſtinctim & ſeparatis articulis agunt de Devolutione & de ſucceſſione.*
4. *Deſumitur aliud argumentum diſtinctionis inter Devolutionem & ſucceſſionem, quòd Lœudemia ſolvantur ex ſucceſſione non ex Devolutione.*
5. *Quartum argumentum diſtinctionis quod Liberi ſuccedentes fiant obnoxii æri alieno Parentum, non etiam Devolutarii.*
6. *Quintum argumentum quod quæ conſtituta ſunt in ſuccedendo aliter ſe habeant in devolvendo, ejuſq; rei exemplum.*
7. *Enumerantur decem differentiæ inter Devolutionem & ſucceſſionem.*
8. *Opponuntur jam dictis verba Conſuetudinum feudalium quæ proprietatem devolutorum tribuunt Liberis.*
9. *Reſponſio ad priorem objectionem.*

HIc eſt capitalis Articulus hujus materiæ undè pendet intellectus plerarumque quæſtionum quæ hactenus in Curia Clientelari Pragmaticorum in-

ingenia exercuerunt, & ob cujus ignorationem ſeu dubietatem plurima in incerto fuerunt.

1. Si Devolutio vera ſit ſucceſſio, dicendi erunt Liberi Parenti ſuo vivo & ſuperſtiti ſuccedere, & ſpiranti adhuc hæredes exiſtere in iis bonis quæ poſſidet tempore quo connubium diſſolvitur, & ſic viventis erit hæreditas contra *L. qui ſuperſtitis ff. de acquir. hæred. & l. 1. ff. de hæredit. action. vendita.*

Et ulteriùs moriente aliquo ex Liberis, in quos Devolutio facta fuerit, cæteri Liberi ſuperſtites ſuccedent fratri ſuo ex latere ſecundùm regulas & ordinem obliquæ ſucceſſionis ab inteſtato, atque ex conſequenti cùm Parens ſuperſtes poſteà morietur, non erit ulla ejus ſucceſſio directa iiſdem in bonis. Ceſſabit quoque repreſentatio omnis etiam in feudalibus bonis, & reliquæ prærogativæ quæ propriæ ſunt directæ ſucceſſioni.

Exempli gratiâ in Feudis Brabanticis cùm ſucceditur in linea recta, maſculi excludunt fœminas, cùm in obliqua ſucceditur propinquior gradu excludit remotiorem, adeò ut ſoror excludat fratris filios, *Art. 31. Conſuetudinum feudalium Brabantiæ.* Si igitur contingat tempore ſoluti matrimonii Patrem Uxori ſuæ ſuperſtitem duos habere filios & unam filiam, & Patre adhuc vivo decedere primò filium

filium natu ſecundum relictis ex ſe filiis, ac deinde primò-genitum deficere ſine Liberis etiam in vita Patris, dicendum erit moriente poſteà Patre feuda etiam illuſtria quæ Pater poſſedit pertinere ad Filiam excluſis Nepotibus maſculis quos reliquerat ſecundò-genitus filius, quia ſcilicet ſucceſſio omnis peracta fuerit in vita Patris, idque ex latere: ubi Soror gradu uno propinquior fratri ſuo primò-genito, exclu-dit alterius Fratris Liberos. Hoc verò nemo non videt abſurdum eſſe, & contra ſcopum introductæ Devolutionis, qui non alius eſt, quàm ut conſervetur Liberis primi thori legitima ſucceſſio ſuperſtitis Parentis, nec aliò pertinet prohibitio alienandi, quàm ut omnia in tempus iſtud integra permaneant: peſſima autem interpretatio eſt, ſi quod in unum finem inductum eſt, ſic accipiamus, ut contrarium effectum operetur; *l. generaliter* §. 1. *ſub finem l. de ſecundis nuptiis l.* 19. *in fine l. de inſtrumentis l.* 3. §. 5. *in fine ff. de Carbon. edicto.* Et loco legitimæ ſucceſſionis quæ aperiatur moriente Patre, in linea recta exſurgat monſtroſa quædam lateralis, turbatis omnibus regulis Juris quæ dictant quoad capacitatem ſuccedendi, proximitatem gradus aliaſque qualitates inſpiciendum ſemper eſſe tempus mortis illius cui ſuccedendum eſt.

Sed tranſeamus ad cæteras rationes huic rei ſtabi-

1. liendæ. Conſuetudines Feudales Brabantiæ aliæque quæ Devolutioni locum dant, diſtinctim agunt de Devolutione, & de ſucceſſione, ſeparatis Articulis, aliis atque aliis verborum formulis, diverſis etiam deſignatis utriuſque effectibus, quod non fieret ſi Devolutio cum ſucceſſione confunderetur.

Conſuet. Feud. art. 22. de Devolutione Feudorum ſic ſtatuitur; ut generatim vocentur Liberi ſine diſtinctione ſexûs, & nullis expreſſis partibus, quia omnes concernit Devolutio, & omnibus in maſſa ſecuritas quædam addicitur in caſum quo aliqua eis aperietur ſucceſſio. Verba Articuli ſuprà adducta ſunt Cap. 2.

Ubi autem de ſucceſſione Liberorum agitur *art.* 21. primo loco vocantur Filii, & his deficientibus Filiæ. Item ſeniori natu ſive filio, ſive filiæ aſſignatur bes feudi in quod ſuccedendum eſt, hoc eſt duæ tertiæ proventus & utilitatis, reſervato alio triente cæteris natu minoribus Liberis.

Ratio verò cur aliter nominentur Liberi in Devolutione, aliter in ſucceſſione, & partium aſſignatio fiat in hac, & non in illa, hæc eſt, quòd Devolutio reſpiciat omnes Liberos in confuſo, ſive in maſſa, ad quos aliquando poteſt ſucceſſio pertinere, nam non debuit conſuetudo vel ſolos maſculos nominare, vel ſolos primi gradus Liberos,

cùm

cùm hæc ſecuritas etiam ad fœminas pertineat ſublatis è medio maſculis; & ad ſecundi gradus Liberos, ſi primi gradus filii ante patrem defungantur. Nec potuit in Devolutione certarum partium fieri mentio, puta beſſis pro primò-genito, & trientis pro reliquis, quia poteſt, morientibus quibuſdam, tota iſta proportio turbari, & vel primogenitus ſolus manere in vivis, quo caſu non ſufficeret ſecuritas introducta pro beſſe, & rurſum eo deficiente debet & reliquis, uni vel pluribus, vel pro beſſe, vel pro toto, ſi alios omnes deficere contingat, ſecuritas dari; cùm is ſit ſcopus hujus conſuetudinis, ut cautum ſit Liberis in omnem caſum qui evenire poſſit circa inteſtati ſucceſſionem; & hæc vera cauſa eſt cur circa Devolutionem in genere loquendum fuerit. Contrà verò cùm de ſucceſſione ſtatuitur *art.* 21. & perſonarum diſcretio, & partium diſtinctio exprimenda fuit, quia ſucceſſio cùm defertur certa eſt, & dies quâ defertur certus & perſonarum numerus, cùm moritur parens ſuperſtes, certus: quare aſſignandæ fuerunt ſingulis partes, & qualitas deſignanda eorum qui jus haberent vel prærogativam aliquam in ſuccedendo.

Tertium argumentum diſtinctionis inter Devolutionem & ſucceſſionem indè ſumitur, quòd cùm omnis ſucceſſor feudalis, ſive univerſalis, ſive ſingu- 4.

laris obstrictus sit ad renovationem investituræ (quam *relevium* vulgò vocant) & ad solvenda Laudemia in agnitionem directi dominii feudalis, constitutum sit *articulo* 52. *consuetudinum feudalium Brabantiæ*, ad hæc officia ac jura non teneri liberos quibus titulo Devolutionis bona superstitis parentis obvenerint, sed ea differri donec ille diem suum obeat, hoc est, usque dum Devolutio in successionem convertatur, quæ duo proinde re ipsâ differre necesse est.

Similis differentia hic obiter notanda est circa usumfructum, nam qui usumfructum communem, quem *formalem* vocant, in feudo quopiam acquirit, sive titulo successionis, sive alio singulari, obnoxius est & professioni feudali, seu relevio, & laudemiis solvendis, quod Pragmaticorum decuriæ uno ore confirmaverunt in ea lite de qua posteà dicetur; atqui certum est id non observari circa usumfructum quem *hæreditarium* amant appellare, qui parenti superstiti competit in bonis ad liberos devolutis, manifesto argumento eum nec verum usumfructum esse, nec parenti de novo obvenire, sed prioris dominii esse reliquias quæ apud eum remanent: nec proindè necessitatem faciunt novæ professionis feudalis.

5. Quartò si Devolutio species foret successionis bonorum, secum traheret onus æris alieni ad quod con-

constat successores universales jure obligari, non tantùm hæredes *l.* 15. *Cod. de donat.* sed etiam alios, puta bonorum possessores *l.* 2. *&* 3. §. 1. *ff. de bonor. possess.* Fidei-commissarios universales, *L.* 1. *& toto tit. ff. ad S. C. Trebellian.* & si credimus Interpretibus, donatarios etiam universales. *Guido Pap. quæst.* 105. *vide Richard. en son Traitté des Donations Partie* 3. *Chap.* 10. *n.* 1227. *& ensuivants.* Sed onus æris alieni respectu bonorum devolutorum non comitari liberos, infrà ostendendum est. 6.

Quintò potest stabiliri diversitas Devolutionis à successione, indè, quòd quæ constituta sunt & observantur in succedendo, aliter se habent in devolvendo, v. g. dictant Consuetudines feudales Brabantiæ *art.* 37. in successione feudali bona non ascendere sursum, adeò ut si is de cujus successione agitur, relinquat parentes & fratres, uel fratrum liberos, hi soli succedant exclusis in totum Parentibus, quod aliter se habet in Devolutione: nam si contingat parentem superstitem habentem liberos, ad secundas transire nuptias, ac indè quoque sobolem suscipere, & deinde primi matrimonii Liberos omnes vitâ fungi, proprietas quæ ad hos devoluta fuerat, ad parentem superstitem pleno jure revertitur, & eo loco res habetur ac si nunquam proprietas ab eo recessisset, ut consentiunt feudalis curiæ Conscripti & Pragmatici omnes.

7. Cùm ex his quæ dicta ſunt liqueat aliud eſſe Devolutionem, aliud ſucceſſionem, utriuſque differentiæ breviter repetendæ ac repræſentandæ ſunt.

Primò Devolutio eſt bonorum viventis, ſucceſſio eſt bonorum defuncti.

Secundò ſucceſſio quæ à jure defertur bonorum defuncti pura eſt, ſine die aut conditione *L. 77. ff. de reg. juris l. eum qui duobus §. fin. ff. de acquir. hæredit.* & firmum ſtatim jus tribuit non vacillans à futuro aliquo eventu.

Contrà Devolutio ſemper conditionalis eſt, *ſi ſupervixerint liberi parenti ſuo.* Et donec evenerit hæc conditio, nihil certi juris Liberis competit.

Tertiò Devolutio transfert in Liberos nudam & ſterilem proprietatem pro ſecuritate ſucceſſionis ſine fructu & alienandi jure, ſucceſſio plenum dominium & omnem utilitatem & diſpoſitionem, niſi quid particulare obſtet, veluti minor ætas, &c.

Quartò Filii ſuccedentes Parentibus ſuis tenentur ad onera hæreditaria, Liberi devolutarii non obſtringuntur ullis oneribus aut æri alieno ſuperſtitis.

Quintò factâ Devolutione ſuperſtes manet bonorum devolutorum uſufructuarius *hæreditarius*, ſeu *proprietarius*, ſive etiam mavis *fundiarius*, vulgò *erftochtenaer*.

In ſucceſſione autem ſecundùm pleraſque Conſue-

ſuetudines Belgii ſuperſtes manet nudus uſufructarius bonorum, in quæ liberi per obitum alterius Parentis ſucceſſerunt.

Sextò in ſucceſſione ſtatim & ipſo jure fiunt partes pro numero Liberorum, puta ſemiſſes, trientes, &c. *L.* Si ex pluribus 2. *ff.* ſi pars hæreditatis petatur. Item *l. antiquum* 3. *& ſorori* 6. *ibidem.*

Devolutio fit omnibus in maſſa atque in confuſo, ut ſuprà dictum eſt.

Septimò ſucceſſio & hæreditas immutabiliter defertur & acquiritur his qui proximi ſunt & capaces tempore mortis ejus cui ſucceditur §. 6. *inſtit. de legitim. agnat. ſucceſſ.*

Devolutio non tantùm fit proximis tunc capacibus, ſed & remotioribus & necdum capacibus, ac nondum natis, exempli gratiâ, ſi tempore ſeparationis thori ſint ſuperſtiti conjugi filii, & ex his nepotes, ad utroſque fit Devolutio; ſed filiis ſub una conditione, ſi parenti ſuo ſupervivant: nepotibus ſub duabus, ſi ſupervivant filiis, & inſuper ſuperſtiti Parenti. In feudis etiam fit Devolutio ad maſculos & ad fœminas, ſed ad has ſub duplici conditione, ſi maſculi deficiant ſine liberis ſuperſtite parente, & ipſæ utriſque ſupervivant. Proficit etiam Devolutio liberis filiorum nondum natis tempore ſeparationis thori, & bona iis addi-

cta ſunt ſub conditione, ſi antecedentes deficiant & ipſi viduo parenti ſupervivant.

Octava differentia eſt, quòd in ſucceſſione repræſentetur perſona ejus cui ſucceditur. *L. 3. ſub fin. ff. de hæredibus inſtituendis l. hæres 22. ff. de uſurpat. & uſucap.* Non item in Devolutione; is enim qui vivit dici non poteſt ab alio repræſentari, niſi fortè civiliter mortuus ſit, veluti deportatus, vel ſervus pœnæ *L. ſi quæ pœna 7. ff. de his qui ſunt ſui vel alieni juris. du Molin ſur la Couſtume de Maine art. 241.*

Nonò, Succeſſio Feudorum nunquam fit ſurſum ad aſcendentes, quamdiu aliquis de familia ſupereſt, etiam ex ordine tranſverſali, bona tamen devoluta redeunt ad parentem mortuis liberis primi thori, licèt exiſtant Liberi ex ſecundis nuptiis.

Poſtremò, Devolutio eſt remedium comparatum ad conſervandam legitimam ſucceſſionem, non eſt verò ipſamet ſucceſſio.

Sed adverſus hæc omnia quibus ſtabilire volumus
8. Devolutionem non eſſe Succeſſionem, opponuntur ipſarum Conſuetudinum dilucida verba, quæ non videntur niſi ſucceſſioni adaptari poſſe.

Conſuetudines Feudales Brabantiæ articulo 22. ſtatuunt, per ſeparationem thori *Liberos fieri proprietarios, door het ſcheyden van het bedde vvorden de kin-*

deren

deren proprietarissen, & Articulo 23. dicitur per mortem liberorum *proprietas ulterius devolvi ad eorum liberos*, *de proprieteyt devolveert voorts op hunne Kinderen*, quæ formula loquendi significare videtur jus aliquod transmissibile acquisitum fuisse liberis, quod ad posteros eorum transeat per successionem.

Hoc ampliùs, secundùm communem fori trituram & phrasim, proprietas devoluta ad filios aliquando ulteriùs succedit, aliquando ulteriùs devolvitur. Succedit, si filius devolutarius moriatur relictis liberis; devolvitur verò, si filius devolutarius habens liberos separatione thori sui fiat viduus, hi enim Liberi non successione (cùm Pater superſit) sed devolutione acquirunt jus Patris, & sunt respectu ejusdem proprietatis secundi devolutarii. Cui distinctioni non posset esse locus nisi prima Devolutio jus aliquod formatum quod ulteriùs succedere & devolvi posset, attulisset primo devolutario.

Quid quòd Consuetudo Lovaniensis *Art.* 11. *tit. de successionibus* utatur verbo *versterven* successioni proprio, & eadem formula involvat bona defuncti & superstitis, *de proprieteyt van alle erf-goederen van beyde de Ghehouwde devolveert ende versterft*, id est, *proprietas omnium immobilium utriusque conjugis devolvitur & obvenit morte.*

Aliæ pleræque Consuetudines similibus ferè verbis conceptæ sunt, quæ aliquid plus juris quàm nudam securitatem Liberorum, aut prohibitionem alienandi continere videntur.

9. Respondetur non sic inhærendum esse verborum formulis ut recedamus à mente & sententia Consuetudinis: malè interpretatur legem qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem. *L. 17. l. 29. ff. de legibus.*

Jurisconsulti veteres interdum vim intulerunt verbis, ne abirent à mente eorum quæ scripta erant, quod vel in hoc ipso argumento proprietatis & usufructus manifestum fiet Capite proximo.

Scopus introductæ Devolutionis non alius est quàm prospicere Liberis, eosque certos reddere de successione bonorum Parentis superstitis, ne fortè occasione secundarum nuptiarum, aut vagæ libertatis vitæ cœlibis iisdem priventur. Ad hunc verò effectum sufficiebat dicere *proprietatem* bonorum Parentis *frenatam* seu cohibitam esse dissoluto matrimonio, quâ formulâ, quam alicubi usurpari accepi, si contentæ fuissent etiam consuetudines nostræ, poteramus multas controversias compendii facere; sed compilatores consuetudinum cum vulgò loqui maluerunt, quòd solet proprietarios quibus interdicta alienatio est *usufructuarios* vocare,

&

& eos *proprietarios*, quibus res post mortem illius qui fruitur, destinantur. Quotidie videmus à popularibus nostris quibus animus est fideicommissum ordinare, ita concipi testamentum, ut filios quos fideicommisso gravare volunt, dicant bonorum suorum fore usufructuarios durante vitâ, eorum verò liberis ac posteritati dicunt se proprietatem relinquere: neque sola plebecula sic loquitur, sed etiam Tabelliones, Procuratores, & alii inferioris subcellii Pragmatici, & hæc testamenta indies pro fideicommissis accipimus, voluntatem scilicet magis respicientes quàm verborum corticem, & filios quidem habemus pro hæredibus fiduciariis, seu gravatis fideicommisso, atque ita pro *proprietariis ad tempus*, eos verò quibus proprietas relinquitur pro fideicommissariis ac substitutis obliquâ substitutione: & sic aliquando memini contradicto judicio intellectum in suprema Curia Feudali in causa viduæ Maximiliani Serraets contra Guilielmum vander Rydt, ratione decidendi sumptâ ex *L. ultima ff. de usufructu earum rerum* & iis quæ ibidem notant Doctores.

Quæ in contrarium igitur ex verbis consuetudinum adducuntur à formulariis & aucupibus syllabarum, parum moramur. Quamquam possint etiam quædam expositione commodâ molliri, veluti quòd

Lovanienſis conſuetudo utroque vocabulo utitur, *devolveren ende verſterven*, intelligi debet disjunctim, cùm enim unâ periodo agatur de utroque parente & de utriuſque proprietate ad liberos tranſeunte, primum vocabulum referendum ad ſuperſtitis bona, alterum ad proprietatem bonorum defuncti, quod in foro dicimus *reſpectivè* aliquid accipere & nuncupare.

Quòd jus primi devolutarii aliquando dicatur ſuccedere, aliquando devolvi ulteriùs, non aliud eſt quàm diverſa loquendi formula petita à ſimilitudine ſuccedendi, & primæ devolutionis forma, cui ſecunda ex pari cauſa accedat. Primo devolutario decedente dicitur ſuccedi in devolutione, quia idem ordo ſervatur qui in ſuccedendo, viduo verò facto primo devolutario ſecuritas quæ illi competebat reſpectu proprii parentis, ad eumdem modum jam liberis ejus datur ipſius reſpectu, idque cumulativè non ſublato primo vinculo.

Clarius explico & exemplo illuſtro. Maritus uxori ſuæ prædefunctæ ſuperſtes filium habet qui deinde antè eum moritur relictis Liberis: dicimus fieri ſucceſſionem in devolutione, non ipſorum bonorum devolutorum, (quia hæc firmiter manent apud maritum ſuperſtitem) ſed illius incerti juris quod patri competebat in quo Liberi eum nunc repræſentant, & in locum ejuſdem ſubeunt, tùm ut poſt mortem Avi

ſui

ſui ad bona devoluta perveniunt, tum ut intermedio tempore quod intercedit à morte Patris uſque ad mortem Avi eandem ſecuritatem contrà alienationes ac remedia juris habeant quæ pater habebat. Vocatur verò hæc ſurrogatio liberorum in locum Patris ſucceſſio, quia per mortem ejus fit, & in capite ejus perit jus quod deinde ad Liberos pervenit.

Dicitur verò tunc ſecunda ſeu ulterior devolutio, quando filius devolutarius fit viduus, quia per ſolutionem matrimonii non amittit jus quod ex devolutione habebat, ſed illud retinet, verùm adſtrictum novo vinculo ne id alienet ſed integrum Liberis conſervet, ex quibus reſultat & iſta differentia, quod ſecundus devolutarius duas mortes exſpectare debeat, ut ad bona devoluta perveniat Avi ſcilicet & Patris, ſucceſſor vero devolutarius ſolam mortem Avi ſui exſpectare habet.

Quid verò juris ſit ſi cùm duo ſubordinati ſunt devolutarii, filius & nepos, intereà moriatur avus, cui tunc è duobus accedat uſusfructus hæreditarius ſeu fundiarius, infrà dicendum eſt, cùm pleniùs conſtiterit ubi fuerit interim bonorum devolutorum proprietas.

CAPUT VI.

Apud quem sit proprietas rerum devolutarum.

SUMMARIUM.

1. *Variæ notiones & acceptiones vocabulorum* Domini, proprietarii, *&c. quodq; interdum pro* Usufructuario *usurpentur.*
2. *Usufructuarius interdum vocatur qui revera Dominus est, quando post aliquod tempus dominium ad alium transiturum est.*
3. *Ejus significationis exempla ex jure petita.*
4. *Hæres Fideicommisso gravatus vulgò haberi solet pro Usufructuario licèt Dominus sit.*
5. *Lucra nuptialia dicuntur ad Liberos primi thori pertinere, cùm tamen proprietas ad Parentem superstitem spectet.*
6. *Vera & naturalis proprietas cum effectibus plerisque ad Conjugem superstitem pertinet.*
7. *Non obstat dominio superstitis Conjugis, quòd post tempus ad Liberos venire debeat.*
8. *Testimonium Joannis Wamesii de natura Devolutionis.*

HÆc quæstio æquè capitalis est atque præcedens, & toti huic materiæ præjudicialis, undè pleræque difficultates dependent.

1. Variis modis accipi in jure vocabula, *domini*, *proprietarii*, *usufructuarii*, notat *Alciatus lib.* 2. παρέργων *cap.* 15. *& Cujacius ad tit. Cod. Si secundò nupserit mulier*, *&c.* aliquando Dominus dicitur qui firmam spem habet nanciscendi dominii,

nii, etsi nunc non habeat ipsam proprietatem: sic filius qui primo gradu est, dicitur in vita patris Dominus rerum paternarum *L in suis* 11. *ff. de liberis & posthumis* & hoc dominium vocatur κατα ἐλπιδα *secundùm spem.*

Mulier constante matrimonio dicitur Domina rerum dotalium *L. in rebus Cod. de jure dotium*, idque propter spem recuperandi res dotales dissoluto matrimonio, licèt eo durante omnis effectus dominii apud Maritum sit, scilicet possessio, fructus, administratio, vindicatio, quâ consideratione & ipse sæpè in jure *Dominus* vocatur, *Instit. quibus alienare licet in nup. in L.* 1. §. 1. *l. dotale* 13. §. 2. *ff. de fund. dotali l.* 7. §. 3. *de jure dotium l. prædium* 23. *eodem.* Uti revera est durante matrimonio, Mulier verò κατα προλήψιν seu *per anticipationem.* Istâ denominatione interim fruitur, etsi effectus dominii tum non habeat

Possessor hæreditatis Domini loco habetur si satisdederit *L.* 5. §. *fin. ff. de quæstionib.* Procurator dicitur Dominus litis *l.* 1. *Cod. de sentent. & interlocut.* Tutores etiam & Curatores Domini loco sunt dum negotia Pupilli vel minoris administrant. *L.* 56. §. *qui tutelam ff. de furtis.* Usufructuarius etiam appellatione Domini quandoque comprehenditur. *L. in venditione ff. de rebus author. iudicis possidend.* ibi

ap-

appellatione Domini & Usufructuarius continetur.

2. Sic & è contrario nomen usufructus interdum dominium denotat, & Usufructarius vocatur qui revera Dominus est, tunc scilicet cùm dominium post aliquod tempus ad alium transiturum est.

3. Exemplum est in *L. species* 15. *de auro argento leg.* Ubi cùm aurum & argentum Seiæ legatum esset, & sic adjectum, *à te Seia peto ut quod tibi in auro & argento legavi, cùm morieris reddas vernis meis quarum rerum usufructus dum vives tibi sufficiet: quæsitum fuit an usufructus auri & argenti solus legatariæ deberetur? respondit Scævola verbis quæ proponerentur proprietatem legatam cum onere fideicommissi.* Secutus Scævola mentem testatoris à verbis recessit, & nomen usufructus accepit pro dominio, indè sumpta voluntatis conjectura, quòd aurum & argentum nominaverat testator & legaverat: rei verò appellatione proprietas significatur *L.* 115. *ff. de verb. signif.*

Aliud exemplum est in *L. ult. ff. de usufructu earum rerum*, ubi *cùm pecunia esset relicta Titio ita ut post mortem ejus ad Mævium rediret, etsi adscriptum sit ut usum ejus Titius haberet, proprietatem tamen legatam, & usus mentionem factam, quiá erat restituenda pecunia post mortem ejus.* Apparet proindè id quod restitui debet post mortem alicujus facilè dici

vel

vel uſu vel uſufructu tenus apud eum eſſe, licèt revera Dominus ejus ſit ad tempus quo detinet, quam loquendi formulam hodie invaluiſſe non tantùm apud plebeios homines, ſed etiam apud Pragmaticos imperitiores quorum maxima turba eſt, teſtatur *Ant. Faber ad d. l. ult. in rationalibus.*

Ubi & notat hæredem fideicommiſſo gravatum 4.
vulgò haberi pro uſufructuario, & ſic vocari, licèt revera Dominus ſit, quamdiu conditio & tempus reſtituendi nondum venit. Aliud ejuſdem generis exemplum peti ſolet ex *L. Proculus ff. de uſufructu*, de cujus tamen intellectu vide *Menochium lib.* 4. *præſumpt.* 133. *& Pinellum, alioſque quos ille refert.*

Quid igitur miri, ſi & Pragmatici noſtri, quorum rudi ſermone conſuetudines de quibus agitur conſcriptæ ſunt, Conjugem ſuperſtitem, cujus bona Devolutionis vinculo Liberis adſtricta & omnino obventura ſunt ſi ſupervivant, vocent earum rerum uſufructuarium, licèt Dominus ſit, & Liberos proprietarios quando nondum ſunt, propter ſpem ſcilicet & ſecuritatem ſub conditione, hanc appellationem tribuentes κατα πρόληψιν, ſeu per anticipationem, cùm etiam Juriſconſultos Romanos viros emunctæ naris ſic factitaſſe videamus.

Nec ſolùm Juriſconſulti ſed & ipſi Legum Roma- 5.
narum Authores in materia lucrorum nuptialium,

quæ huic prorſus affinis eſt, ita locuti ſunt, ut dicerent dominium lucrorum nuptialium propter ſecundas nuptias *ad Liberos pertinere*, *l. generaliter* 5. *Cod. de ſecund. nuptiis.* Cùm tamen eo jure naturalis proprietas cum diſponendi quodam jure ad parentem ſuperſtitem pertinuerit, permiſsâ illi facultate eligendi unum ex Liberis, & dividendi ea lucra inter ipſos uti vellet *d. t. generaliter.* Undè & *uſumfructum* qui Parenti ſuperſtiti paſſim adſcribitur intelligi debere *cauſalem* ſeu à proprietate cauſatum, non *formalem*, cenſent Albericus, Baldus, Salicetus, & Ripa ad *l. fœminæ Cod. de ſecund. nupt.* ad quam normam Conſuetudines noſtras de Devolutione interpretatur Joan. Wameſius *Centuriâ* 6. *concil. civilium conſ.* 58.

Seponantur igitur vocabula quæ admodum variè accipi jam oſtenſum eſt, & prævaleat quod in re ac veritate eſt. Habet ſuperſtes Conjux rerum devolutarum poſſeſſionem, utendi ac fruendi plenum jus (quod pars dominii eſſe dicitur. *L.* 3. *ff. de uſufructu*) habet adminiſtrationem, rei vindicationem, & cæteras pro re recuperanda actiones, immò nec privatus eſt omnino alienandi jure, cùm ab initio invalidæ non ſint alienationes quas facit; ſed reſcindantur tantùm ſi Liberos contingat Parenti ſuo ſupereſſe, exemplo eorum quæ de lucris

cris nuptialibus constituta sunt *Novella 22. cap. 26.*

Imò in totum reviviscit quæ sopita erat soluto matrimonio alienandi facultas, si Liberi ante superstitem posteà moriantur. Has partes & effectus dominii qui habet rectiùs dicitur Dominus, quàm qui eorum nihil habet, & si dicas deesse superstiti alienandi & disponendi plenam facultatem, reponam hanc etiam deesse Liberis qui proindè cum omnibus destituantur veri proprietarii dici non possunt, sed tantùm cum additio *civiles, in spe, per anticipationem, sub conditione.* 6.

Illud minimè officit dominio superstitis conjugis in bonis devolutis, quòd post tempus ad liberos transitura sint cùm parens mortuus erit; nam indè tantùm sequitur perfectum seu perpetuum non esse 7.
dominium superstitis, cùm habeat juris regula *non videtur perfectè cujusque id esse, quod ex casu auferri potest L. 139. ff. de regulis juris*, verè tamen interim Dominus est qui sic rem habet: nam possidere, uti, frui, & vindicare potest, ut enim dicitur *L. 66. ff. de rei vindic. rectè quid nostrum esse vindicabimus, quod abire à nobis dominium speratur, si conditio legati vel libertatis exstiterit*; res enim legata sub conditione, quamdiu pendet conditio, est in dominio hæredis *L. & post §. 1. ff. famil. hæres*, & emptor cui in diem res addicta est antequam alius

meliorem conditionem attulerit, vindicare rem potest. *L. 41. ff. de rei vind.*

Vix potest igitur dubiosum manere ubi pendente devolutione bonorum dominium sit, nimirum vera ac naturalis proprietas apud conjugem superstitem est: ficta & civilis apud liberos.

Ne autem hæc quam protulimus consuetudinum interpretatio novitatis insimuletur à veteratoribus quibusdam Pragmatibus, quibus præoccupatæ opiniones quas pridem hauserunt haud faciliùs excuti possunt quàm Herculi clava, vel Jovi fulmen, non abs re erit authoritate vetustiorum quorumdam quæ dicta sunt confirmare. *Joannes Wamesius* non minùs celebris forensibus responsis suis, quàm pro-
8. fessione juris primariâ apud Lovanienses *consil.* 58. *centuriâ sextâ civili n.* 1. de devolutione quæ in urbe ista viget ita scribit: *Quòd plena & perfecta devolutio seu acquisitio in vita domicellæ Margaretæ contigerit juris ratio non patitur, nec in sensum hominis cadit; quòd superstitis & viventis aliqua sit successio* L. qui superstitis ff. de acquir. hæred. l. 1. ff. de hæred. & act. vendita, *sed hujusmodi consuetudinaria deuolutio proprietatis non est successio, sed vinculum tantùm quod superstiti injicitur, & quo bona etiam afficiuntur, ne liberâ voluntate superstitis alienari vel pignori dari possint, nec caret hæc res exemplo: nam jure scripto*

pro-

proditum est, conjugem superstitem, ex morte alterius propter pactum aut consuetudinem, lucrantem omnem vel partem dotis aut donationis propter nuptias, si convolet ad secundas nuptias, cogi, ut hoc lucrum liberis primi matrimonii servet, L. fœminæ. l. generaliter. l. hâc edictali, §. his illud C. de secund. nupt. Authen. de non elig. sec. nupt. collat. 1. *Quo tamen vinculo propriè dici non potest, quòd superstes desinat esse proprietarius eorumdem bonorum, ex lucro dotali vel donationis propter nuptias acquisitorum, ita ut moriente superstite conjuge, hujusmodi lucrum dicatur liberis primi matrimonii obvenire ex morte superstitis, non primi decedentis.*

Cujus judicium hoc quoque est, quòd liberis primi matrimonii, quorum favore hoc vinculum injectum est, decedentibus ante conjugem superstitem veluti prædicto vinculo dissoluto, superstes liberum arbitrium disponendi de iisdem bonis recuperet suo jure, non ut hæres liberorum. d. L. fœminæ cum jurib. sup. cit. Castr. cons. 29. aliàs 124. Circa primum quæsitum dicendum est. num. 6. vol. 1. *Uti etiam in usu prætactæ consuetudinis Lovaniensis expressum est. Ideò etiam est quòd usus fructus quem superstes in bonis propriis propter dissolutum matrimonium retinere tantùm dicitur, non simpliciter usus fructus, sed hæreditarius usus fructus appelletur cum plenissimo indicio & significatione, quòd*

ſuperſtes dominium retineat; ſed cum prætacto vinculo, eoque intellectu ad liberos proprietas, mortuo altero conjuge devolvi dicitur, quod de ea per mortem ſuperſtitis, ſi ipſi quoque ei ſuperſtites erunt, jam quodammodo certi ſunt.

Idem ſenſus & eadem interpretatio naturæ Devolutionis reperitur ſparſim, etſi non tam dilucidè, apud Præſidem Everardum, P. Peckium, Kintſchotium patrem & filium, alioſque Authores noſtrates.

CAPUT VII.

Caſus obſervatu dignus ſecundùm dicta principia deciſus.

SUMMARIUM.

1. *Species facti ſuper qua judicatum eſt, ubi aliqui liberorum defuncti ſunt tempore Devolutionis.*
2. *An eo caſu liberi invicem ſucceſſerint, an verò ſucceſſio delata ſit in mortem matris.*
3. *Rationes pro ſucceſſione laterali Feudorum.*
4. *Rationes pro devolutione & poſteà ſucceſſione directa.*
5. *Judicatum devolutionem non poſſe haberi pro ſucceſſione, & quænam indè conſequuntur.*

IN ſuprema Curia Clientelari Brabantiæ agitata lis fuit ſuper hac facti ſpecie, quæ Devolutionis naturam intimè tangebat.

Uxor

Uxor marito ſuo ſuperſtes quinque ex eo proles 1.
retinuerat, maſculos duos & tres filias, ad quas omnes ſecundùm mores Brabantiæ feuda quæ mater poſſidebat ſic erant devoluta, ut filiis prima ſpes & ſecuritas eſſet ſuccedendi, excluſis filiabus, ſi matri ſuæ ſuperviverent vel ambo vel unus, cùm in ſucceſſione directa Feudorum Brabantiæ maſculi fœminas prorſus excludant; evenit matre adhuc vivâ primam omnium mori filiam ſeniorem relicto ex ſe filio legitimo: moriuntur deindè ſuperſtite adhuc matre ambo filii ſine liberis, decedit poſt hos ipſa mater, eique ſuperſunt filiæ duæ, & filius quem dixi ex ſeniore filia. Hinc contentio naſcitur de feudis maternis quæ fuerant devoluta eâ vivente per diſſolu- 2.
tionem matrimonii ex obitu patris. Filiæ ſolæ petebant ad ea admitti excluſo in totum filio ſenioris ſororis prædefunctæ, quòd dicerent diſſolutis nuptiis parentum ſuorum, per mortem patris ſtatim feuda omnia matris devoluta fuiſſe ad ſolos filios, qui duo tunc ſupererant, manſiſſe matrem viduam 3.
uſufructuariam dumtaxat, proprietatem obveniſſe filiis, atque horum morte ſe ut gradu proximas filiis iſtis poſteà defunctis ſucceſſiſſe laterali ſucceſſione, filium ſenioris ſororis uno gradu remotiorem eſſe, nec poſſe ad bona matris ſuæ venire per repræſentationem, cùm certi juris ſit in Feudis Braban-

banticis, non esse locum repræsentationi in obliqua successione; talem verò hic esse non directam, utpotè cùm fratribus & non matri succedendum esset, quæ jam pridem proprietate exutâ, in vita sua eam transmittere nunc nequiret.

4. E contrario filius sororis senioris prædefunctæ vindicabat duas tertias, seu bessem rerum feudalium matris unà cum prærogativa feudali, quæ consistit in habitatione arcis, & exercitio jurisdictionis si quæ connexa sit feudis, quòd secundùm leges feudales indubitatum sit repræsentationi locum esse in recta successione, cujus vi ipse venire debeat in locum matris suæ, quæ si viveret, auferret sine dubio bessem in successione materna, & prærogativam quam dixi tamquam senior filia cui hoc jus competit. Devolutionem proprietatis bonorum maternorum tunc cùm pater obiit non posse haberi pro successione, nec ipsos filios, in quos tunc facta est devolutio primo ordine, posse dici successisse matri adhuc viventi, nec ipsis defunctis ante matrem successisse sorores laterali successione, omnem successionem dilatam esse in tempus mortis maternæ, nihilque aliud spectandum quàm quis eo tempore proximus & habilis esset ad ei succedendum.

Constitutâ in hunc modum controversiâ, cùm pars

pars utraque conſuetudinem & uſum fori, ac res
conſtanter judicatas pro ſe obtenderet, indicta
eſt utrique parti probatio, quâ occaſione quidquid ad
materiam devolutionis pertinet ferè in medium
productum eſt, exhibitæ res judicatæ in ſimilibus
cauſis, conſultationes veterum Advocatorum, te-
ſtificationes Pragmaticorum omnis ordinis in vete-
ribus cauſis, tum quæ à decuriis teſtium, quas tur-
bas vocant, in hac ipſa controverſia dicta erant. Om-
nibus diligenter expenſis longè prævalere viſa ſunt
quæ pro filio ſenioris ſororis adducta erant, ſe- 5.
cundùm quem proindè conſentientibus ſuffragiis
judicatum eſt atque intellectum, devolutionem non
eſſe habendam pro ſucceſſione, nec proprietatem
bonorum devolutorum verè peruenire ad liberos
vivente conjuge ſuperſtite, ſucceſſionem tantùm
tunc fieri cùm moritur ſuperſtes, verba conſuetu-
dinum, quæ liberos vocant proprietarios bonorum
devolutorum, impropriè eſſe accipienda de proprie-
tate in ſpe ac ſub conditione, aliquo liberorum mo-
riente ante parentem ſuperſtitem non fieri locum
ſucceſſioni laterali, uſumfructum quem retinet ſu-
perſtes in bonis devolutis, *cauſalem* eſſe, non *forma-
lem*, devolutionis vim in eo conſiſtere, ut bona
ſuperſtitis conſerventur pro legitima ſucceſſione,
non ut ordo ſuccedendi perturbetur, liberis devolu-

tariis non competere jus alienandi aut disponendi de proprietate devoluta, nec in ea hæredem habere quamdiu parens superstes vivit. Hæc aliaque affinia pro fundamento decidendi habita sunt in causa Theodori van Uffle Actoris, contra viduam Advocati Kimps 17. Junii 1659. Judices erant novem, plerique Brabantiæ Consiliarii.

CAPUT VIII.

In duplici Devolutione an usus fructus hæreditarius ad filium, an ad nepotes perveniat?

SUMMARIUM.

1. *Casus duplicis devolutionis avi & filii.*
2. *Moriente avo usufructuario an bona devolvantur ad filium an ad nepotes.*
3. *Quomodo intelligendum non esse bis continenter locum usufructui, vulgò* daer en valt gheen tocht op tocht.
4. *Concluditur pro filio contra nepotes.*

1. CONtingit aliquando bona obnoxia esse duplici devolutioni; nam bona patris vidui devolvuntur primo loco ad filium aut filios, si verò filius hic conjugatus sit, & liberos habeat, obitu uxoris ejus de-

devolutio ulterior eorumdem bonorum fit ad liberos, & eo caſu neque Avus, neque pater quidquam alienare poteſt, quia utrique vinculum devolutionis injectum eſt: uſusfructus verò hæreditarius ſeu fundiarius ſine dubio apud Avum permanet quamdiu vivit: at eo moriente quæſtio eſt an ad filium perveniat, an ad nepotes? pro nepotibus hæc ratio facere videtur, quòd ſecunda devolutio jus quod filius habuit à patre ſuo ulterius devolvat ac transferat ad nepotes, apud quos cùm reſideat hâc ratione proprietas imperfecta, 2.
quam devolutio ſecum trahit, non poteſt uſusfructus conſolidari niſi ubi proprietas illa reperitur, hoc eſt apud nepotes, ſemper enim uſusfructus cùm finitur ad proprietatem revertitur, *L.* 3. §. 2. *ff. de uſufructu*, *l.* 3. *C. eodem*, cui accedit hoc argumentum à Pragmaticis & uſu fori petitum, non poſſe 3.
continenter uſufructui bis locum eſſe, quod Vernaculè ita efferunt, *daer en valt gheen tocht op tocht*, quod pluribus couſuetudinibus Belgicis expreſſum eſt. Proinde cùm Avus uſufructuarius fuerit bonorum ſuorum, non poteſt poſt eum filius eorumdem bonorum uſumfructum obtinere, ut ad præveniendum huic incommodo neceſſum ſit apud nepotes utrumque conjungi, jus ſcilicet proprietatis & uſusfructus.

Sed neutra ratio bona eſt, ſed utraque diſtorta 4.

& profecta à pravo illo intellectu quem paulò antè refutavi, nimirum non est apud filium aut nepotes devolutarios vera proprietas, nec apud Avum verus fuit usufructus, ut vanum sit regulas quæ de consolidatione usufructus statuunt eò transferre. Proprietas revera mansit apud Avum cum jure fruendi, &c. Sed duplici vinculo subordinatè adstricta filiis & nepotibus; decedente verò Avo succedit filius in illam proprietatem paternam recto ordine succedendi, cui ordini conservando unicè instituta est Devolutio; absurdum verò est eam sic interpretari, ut invertat legitimam successionem, & ita inductum in unum finem operetur contrarium *L. 19. in fine C. de fide instrument. l. 5. §. 1. C. de secundis nuptiis.* Certè vel hinc apparet quam ineptam foveant interpretationem qui hæc effutiunt, per quæ efficitur ut in successione paterna nepos præferatur filio, nec quidquam hujusmodi bonorum unquam pervenerit ad filium, nisi sterilis ac sine re proprietas. Argumentorum quæ adducta sunt facilis est dilutio, cùm ea quæ assumuntur de proprietate & usufructu falsa sint & erronea. Secundùm hanc sententiam non ita pridem judicatum est in suprema Brabantiæ Curia, in causa reductionis N. Muñoz, &c. Itaque defuncto Avo ad filium descen-

cendit idem jus quod illi competiit, non ad nepotes, fructûs igitur omnis possessio & administratio filio permittenda est, nepotes expectabunt dum ille in fata concedat, quòd principiis etiam naturæ consentaneum est.

Hæc ita si Avus viduus moriatur relicto filio viduo & nepotibus ex eodem. Quid vero juris si filius antè Avum vitâ fungatur? Nepotes qui erant secundi devolutarii in bonis avitis, succedunt patri suo in jus illud incertum devolutionis quod ipsi habebant, & locum ejus repræsentantes fiunt soli devolutarii, uti supra expositum est Cap. 5. circa finem.



CAPUT IX.

Quibus modis derogetur Devolutioni.

SUMMARIUM.

1. *Derogari potest Devolutioni vel testamento, vel pacto conjugum, vel declaratione contraria voluntatis.*
2. *Non incidit talis remissio Devolutionis in prohibitionem donandi inter conjuges.*
3. *Potest unus conjugum remittere alteri Devolutionem, licèt vicissim alter non remittat.*
4. *An possit Devolutioni derogari testamento unius conjugum de suis bonis aliter testantis quàm dictat Devolutio, idq; durante matrimonio.*
5. *Argumenta partis affirmantis.*
6. *Argumenta pro parte negante.*
7. *Resolutio propositæ quæstionis pro facultate testandi.*
8. *An dissoluto matrimonio talis dispositio mutari possit.*
9. *Varii modi derogandi Devolutioni.*
10. *Si ex parte derogetur Devolutioni an in totum corruat?*
11. *An condito testamento à parentibus etiam non contrario Devolutioni derogetur tamen eidem?*
12. *Vocatis ex fideicommisso alicujus liberis, an id intelligendum sit secundùm regulas Devolutionis? & an qui ex priore thoro sunt præferantur cæteris.*

1. IN primis explorati juris est Devolutioni posse derogari communi consensu conjugum, idque vel ab initio in ipsis pactis nuptialibus, vel posteà constante conjugio, puta in communi testamento quod posteà conditur, vel pactionibus quæ inter con-

conjuges quandocunque constante matrimonio fiant, quia cùm ex tacito pacto influente in matrimonium nascatur ipsa Devolutio, ut suprà cap. 4. dictum, naturale est ut contraria conventio vel voluntatis declaratio Devolutionem impediant cum taciti pacti vires deficiant, ubi aliud apertè actum est. *L. in emptionibus* 43. *ff. de pactis.*

Si dicat aliquis, non in favorem conjugum, sed liberorum introductam esse Devolutionem, neminem autem pacisci vel renunciare posse nisi his quæ pro se introducta sunt, *L. ult. Cod. de pactis l.* 29. *c. ibid. sub medium.* Respondebimus sic favorem liberorum respicere Devolutionem, ut tamen omnia concredita sint æquitati & arbitrio parentum, qui possint ab ea recedere si ratio quæpiam melior, aut utilitas major id utrique persuadeat; optimum enim consilium parentes pro liberis suis capere velle existimantur. *L. nec in ea* §. 4. *ff. de adulteriis.*

Non incidit etiam hæc derogatio Devolutionis, quæ constante matrimonio fit, in prohibitam donationem inter conjuges, licèt id primore fronte videri possit quòd conferatur in superstitem jus alienandi & disponendi, quod consuetudo abstulerat. Nam constat donari posse inter conjuges in casum mortis vel separationis thori, *L. quia* 10. *ff. de donat. inter virum, &c. l. sed interim* §. *ult. eod. tit.*

quia

quia effectus excurrit in illud tempus quo vir & uxor
2. esse desinunt. Deinde non est hæc vera donatio, cùm unus conjugum alteri remittit devolutionem, is enim cui remittitur non fit indè locupletior vivo altero: imò nec post mortem ejus; sed conjux prædecedens solùm remittit jus suum quod habebat ne superstes res suas alienaret, quâ remissione nihil hic acquirit, sed solùm remanet dominus bonorum suorum, etiam quoad jus alienandi, quod alioquin amisisset; ut dicendum sit conservari tantùm jus superstitis, non augeri alicujus rei accessione. Vide Peckium *de testam. conjug. lib.* 1. *cap.* 43. *n.* 6. Præses Everard. *consil.* 12.

3. Non tantùm fieri potest mutua derogatio Devolutionis, sed & uni conjugum soli remitti potest Devolutio, ut puta uxor marito remittere potest licèt vicissim maritus illi non remittat, quotidie testamenta fiunt à conjuge prius decedente, quibus superstiti relinquitur libera facultas de bonis suis disponendi, etsi liberi ei sint, hæc pars testamenti continet renunciationem juris quod habebat prædecedens, ue superstes bona sua alienaret, estque hæc renunciatio species quædam pacti testamento inserti, quod fieri potest secundùm *Doctores ad* §. *Sed cùm paulatim instit. de testam.* nihil enim propriè transfertur in superstitem vi talis dispositionis, sed

vincu-

vinculum conſuetudinarium quod injiciendum eſſet bonis, ei remittitur eo tempore dum nondum liberis effectus ejus acquiſitus erat. Talis declaratio voluntatis ab uno conjugum facta dum vivit, ſive in teſtamento, ſive alio quocumque actu vim habet pacti & renunciationis, ex qua ſuperſtiti id acceptanti quandocumque, expreſsè vel tacitè ipſo facto, exceptio naſcitur, uti ex quavis alia renunciatione, quâ quis jus ſuum remittit, *d. l. ult. Cod. de pactis.* Et hic articulus nullam patitur difficultatem, cùm uſu quotidiano & conſenſu Pragmaticorum confirmetur.

Illud pridem diſceptatum & nondum ſatis definitum eſt inter Conſultos fori, an unus conjugum 4.
de ſuis bonis ſeorſim teſtando, contra quam ferat devolutio, puta inſtituendo liberos omnes æqualiter in feudis, deroget hâc ratione devolutioni? Hanc quæſtionem in medium jecit Kintſchotius *tract. 7. de licentia teſtandi de feudis cap. 6.* atque indeciſam reliquit.

Partem affirmantem ſuadere videntur rationes 5.
ſequentes. Poteſt quiſque conjugum ultimâ voluntate bona ſua obnoxia Juri Devolutionis conferre, ut voluerit, in extraneum, modò ſalva ſit liberis legitima, cur verò quod licet reſpectu extraneorum, non permittatur intuitu liberorum, ut ipſis aliquid

quid relinquatur quod ab inteſtato non haberent?

Secundò, poteſt maritus, dum nuptiæ conſtant uni liberorum donare inter vivos, modò id faciat probabili de cauſa, & non in fraudem uxoris, quod verò conceditur inter vivos multò magis ei concedendum eſt in ultima voluntate §. *unico inſtit. d. l. Fuſia Caninia tollenda*, atque ſi id marito licet per ultimam voluntatem, etiam uxori licere debet, cùm reſpectu ultimarum voluntatum pares ſint, nec prærogativam habeat maritus præ uxore.

Tertiò, Devolutio tempore diſpoſitionis quam unus conjugum facit conſtante matrimonio, nondum nata eſt, ac proinde non videtur eam impedire poſſe, cùm ejus quod non exiſtit nullus effectus eſſe queat. *juribus vulg.*

Quartò, Devolutio naſcitur demum poſt mortem primi decedentis, & ita res ſuperſtitis afficit & apprehendit, uti eas reperit, ſcilicet cum ea diſpoſitione & qualitate, quæ tempore habili eis impreſſa eſt.

Quintò, teſtamentum primi morientis conjugis quod ſeorſim conſtante matrimonio ab eo conditum eſt, vires habet, licèt non ſit conforme ſucceſſioni ab inteſtato, cur poſteriùs morientis conjugis teſtamentum, etiam conditum conſtante matrimonio, effectu carebit? nimis diſpar fuerit utriuſque conjugis

gis conditio eodem modo & tempore teſtantis.

Eſt quidem inter utrumque caſum iſthæc differentia quod reſpectu primi morientis nulla unquam extiterit Devolutio, atque ita nihil ex eo capite teſtamento abjici poſſit, quod dici nequit de conjuge poſterius moriente. Sed æquandi ſunt utrimq́ue atque ponendum eſt conditum eſſe teſtamentum de quò agitur ante exortum devolutionis, eaque deinde pendente nihil in præjudicium Devolutionis recipi poſſe.

Quòd dicitur inſtitutam eſſe Devolutionem ut ordo ſucceſſionis ab inteſtato conſervetur, ſic videtur intelligendum, niſi anteà, nondum natâ Devolutione, aliter diſpoſitum ſit, cùm cauſa teſtati faciat ceſſare cauſam inteſtati. *Iur. vulg.*

Tacitum pactum conjugum ut bona allata in matrimonium, & acquirenda eo conſtante perveniant ad communes liberos, cui innititur Devolutio, ut ſupra dictum eſt cap. 4. ſic neceſſariò temperandum eſt, niſi ante Devolutionis ortum quid alienatum vel hypothecæ ſuppoſitum ſit, quod non minùs efficitur ultimâ voluntate quàm contractu inter vivos, idq́ue ſatis ſtabilitur argumento ducto à teſtamento primi defuncti.

Denique, durum fuerit aliter ſentiendo abolere omnem diſpoſitionem parentis inter liberos de

bonis Devolutioni ſubjectis, niſi fiat ex conſenſu alterius, aut contingat illum præmori, cùm talis diſpoſitionis tantus ſit in jure favor, ut etiam ſine ſolennibus rata ſit. *L. hac conſultiſſimâ Cod. de teſtamentis.* Satis ſanè grave eſt ademptam eſſe parenti jam viduo omnem diſpoſitionem de bonis devolutis, in quem ſolùm caſum directa ſunt omnium conſuetudinum verba, id verò non videtur interpretatione extendendum ad alios caſus, hoc eſt ad parentes adhuc conjugio junctos & tunc teſtantes ſive conjunctim ſive ſeparatim; quæ enim dura ſunt, ſtrictæ debent eſſe interpretationis. *L. cum quidam* 19. *ſub finem ff. de liberis & poſthumis.* Et hanc ſententiam affirmantem amplectitur Brabantiæ Cancellarius, Franciſ. Kintſchotius *reſp.* 30. *n.* 18. 19. 20. Sed ſatis jejunè, & nullis adductis argumentis.

Pro parte negante adfertur, aperiri viam fraudi-
6. bus, ſi unus conjugum, altero ignorante, ſuâ ſolius diſpoſitione derogare queat juri, quod utrique æqualiter impoſitum eſt; non eſt verò admittenda interpretatio, quâ eludi poſſit providentia conſuetudinis. *L. hoc modo* 64. §. 1. *ff. de condit. & demonſtr.* potuiſſet prædefunctus ſuo etiam teſtamento proſpicere, niſi crediſſet omnia conſentanea fore Devolutioni, quod non niſi ſubdolè ſubticuit qui aliter teſtatus eſt, v. g. ſi uni liberorum plus quam alte-

alteri reliquit, potuiſſet de ſuis bonis id compenſare, qui jam inteſtatus deceſſit.

Deinde urgetur vis taciti pacti quod intercedit inter conjuges de bonis conſervandis communibus liberis juxta leges moreſque ſuccedendi ab inteſtato, niſi communi conſenſu aliter placuerit. Sed hæc argumenta parvi ponderis ſunt, nam ad hoc poſterius paulò antè reſponſum eſt, prius verò æqualiter valet contra omnem diſpoſitionem, quam unus conjugum facit altero ignorante, & multò magis contra mutationem communis teſtamenti clàm ab uno factam, quâ de bonis ſuis aliter ſtatuit, quàm in conjugali mutuo elogio fecerat, quam tamen diſpoſitionem & mutationem valere Authores conſentiunt, licèt doli & malæ fidei argui poſſit, cùm aliud ſit morum, aliud juris regula, nec ſtatim irritum ſit quidquid contra officium boni conjugis fit. Vide *Peckium de teſtam. conjug. Lib.* 1. *Cap.* 43. *Everardum*, *Gail*, *Ant. Fab. alioſque.*

Illud validius pro hac parte urgeri poteſt, quod licet tale teſtamentum revera conditum ſit ante natam devolutionem habeatur tamen quaſi factum tempore mortis, quia teſtamenta vires capiunt ab iſto momentò *L.* 49. *ff. de hæred. inſt.* & tunc teſtator loqui & diſponere cenſetur atque ita negante devolutionem ſed ea vigente diſponit quod ei non licet. Hæc vero

quamvis non ſpernanda ſit ratio ſumpta ex ſubtili jure, prior tamen opinio æquior & benignior videtur,
7. per quam non evertitur omnino devolutio, ſed temperatur dumtaxat, cùm bona iſta de quibus diſpoſitum eſt, non poſſit poſteà alienare conjux ſuperſtes, ſed conſervare teneatur liberorum ſucceſſioni in eum modum ordinandæ, uti illius teſtamento præſcriptum eſt.

8. Movet tamen dubium Kintſchotius *d. tract. cap. 6.* an teſtamentum ſive commune conjugum, ſive unius, quo de bonis devolutioni ſubjectis diſpoſitum eſt aliter quàm conſuetudo dictet, poſteà diſſoluto matrimonio mutari à ſuperſtite poſſit: diſtinctio adhibenda eſt, ut ſi extraneus immixtus ſit diſpoſitioni, de illo aliter ſtatui à ſuperſtite poſſit, & auferri quod ei relictum erat, aut transferri in alium, quia Devolutio extraneum illum minimè, reſpicit, liberorum verò intuitu, quibus jam per diſſolutionem matrimonii jus quæſitum eſt, nihil mutari poteſt in deterius; ſed poteſt conditio eorum poſteriori teſtamento melior reddi. Notæ ſunt omnibus regulæ nemini invito jus ſuum detrahi poſſe, ignorantis vero & inviti conditionem meliorem rectè effici *jur. vulg.*

Derogatio Devolutionis variis modis fieri poteſt, primò, abſolutè & plenè, ut ſi in pactis nuptialibus,

vel

vel communi teſtamento expreſſum ſit, nolle conjuges diſſoluto matrimonio locum eſſe Devolutioni, quo caſu non modò alienatio omnis & diſpoſitio permiſſa erit ſuperſtiti, ſed ab inteſtato liberi ſecundi thori æqualiter ſuccedent cum prolibus prioris thori, ſi nihil aliud obſtet; ſublato enim impedimento conſuetudinis, liberorum æqualis fit cauſa, & bona rediguntur ad conditionem eorum quæ Devolutionem non patiuntur, uti ſunt quæ poſt diſſolutionem nuptiarum viduus conjux acquirit.

Alio modo derogatur Devolutioni re ipsâ, & tacitè, ſi in pactis nuptialibus, vel in teſtamento parentum aliquid contrarium Devolutioni ordinatum ſit, puta ſi major vel minor portio quibuſdam liberis aſſignata ſit, quam juxta leges Devolutionis habere debent, ſi liberi æqualiter omnes vocati ſint ſine diſtinctione thori; ſi extraneus quiſpiam, vel etiam ſuperſtes conjux ad partem hæreditatis unà cum liberis vocatus ſit, ſi fideicomiſſum aliquibus injectum, vel denique ſi ſupervicturo è duobus detur facultas diſſoluto matrimonio res Devolutioni obnoxias alienandi, aut de iis diſponendi.

Quibus caſibus an in totum Devolutio ceſſet, an 10.
ille tantùm effectus Devolutionis cui derogatum eſt,

eſt, aliquando diſputatum memini; ſed ſæpiùs intellectum non cenſeri everſam per hujuſmodi clauſulas totam Devolutionem, v. g. ſi in communi teſtamento data ſit facultas conjugi ſupervicturo de bonis ſuis omnibus liberè diſponendi, & ille de quibuſdam non diſpoſuerit, deciſum, conſtare bebere vim ſuam Devolutioni in bonis, de quibus ſuperſtes non diſpoſuit, eaque deferri & dividi debere ſecundùm leges Devolutionis, & ideò ſi ſuperſtes tranſierit ad ſecundas nuptias, prolibus ex hoc poſteriori conjugio natis, nihil eorum bonorum competere, niſi diſertè quid relictum eis ſit in vim permiſſionis à prædefuncto conceſſæ; non enim aliud actum cenſetur à defuncto conjuge, quàm quod arbitrio ſuperviventis ſubjecerit Devolutionis effectum, quo arbitrio & facultate ſi ille uſus non fuerit dum vixit, tantumdem eſt ac ſi data nunquam fuiſſet. *Quæ mutata non ſunt cur ſtare prohibeantur?* ut Jnſtinian. alibi ratiocinatur *L. ſancimus Cod. de teſtamentis.*

11. Minorem dubitationem habere debuerat controverſia illa quam idem Kintſchotius proponit *reſponſo* 30. *n.* 18. 19. 20. 21. an in totum rupta ſit Devolutio, ſi communi teſtamento parentes inſtituant liberos ſuos hæredes, nec quidquam adjiciant quod repugnet legibus Devolutionis.

Fuit

Fuit aliquando inter Pragmaticos recepta ſententia, quam & D. Kintſchotius conſultationi ſuæ ſerviens amplexus eſt: condito à parentibus teſtamento qualicumque, quo liberos ſuos hæredes ſcripſerint, deficere in totum Devolutionem, ſive conſentanea Devolutioni ordinaverint, ſive diſcrepantia, imò & unius conjugis teſtamentum ſeorſim conditum eamdem vim habere, adeò ut exſtante tali teſtamento nec alienatio vetita ſit ſuperſtiti, nec excludantur liberi ſecundi thori, &c. remoto ſcilicet impedimento, quo prohibitio & excluſio iſta nitebantur.

Movebantur quòd Jus Devolutionis eſſet Jus inteſtatæ ſucceſſionis, quod à jure municipali, aut conſuetudine per modum vinculi injiceretur bonis, ejuſdem conſuetudinis beneficio delatis, ceſſare autem inteſtati ſucceſſionem condito teſtamento, ac conſequenter nullas poſſe illius ſucceſſionis eſſe qualitates, nullum vinculum, &c. tralatitium eſſe proviſionem hominis facere ceſſare proviſionem legis, quod in ſimili Baldus tradit *ad L. 2. Cod. de jure emplit.* Tiraquel. *de jure primogen. quæſt. 9. n. 29.*

Sed ſicuti cæterarum rerum, ita & opinionum ætates ac viciſſitudines ſunt in foro. Hodie hæc opinio ut paradoxa, ſeu infamis à tribunalibus exulat; nam conſtanter in eam ſententiam itur, teſta-

mento condito à conjugibus non everti Devolutionem, nisi quatenus aliquid ei repugnans testamento insertum est, argumento *d. l. sancimus*. Si omnia consentiant, consuetudo vinculo Devolutionis firmitatem & robur testamento adjicit. Notum quippe est consuetudines quibus non est derogatum, influere, temperare, confirmare & interpretari ultimas voluntates, Alciatus *regulâ* 3. *præsumptione* 32. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 202. quod præsumantur testatores in dubio se conformare juri municipali, vel consuetudini, Bart. *ad L. hæredes mei* §. *cùm ita ff. ad S. C. Trebellian.* Indè est, quòd si statuto excludantur fœminæ à successione exstantibus masculis, generali nomine vocatis *liberis*, *posteris*, *descendentibus*, non comprehendantur fœminæ, quod argumentum latè prosequitur Menoch. *d. lib.* 4. *præsumpt.* 84. Peregrin. *de fideicom. Art.* 25. *n.* 53. *& seq.* Clarus §. *testamentum quæst.* 76. *n.* 12. Fusarius *de fideicom. quæst.* 481.

12. Cui affinis est hæc controversia, Pater filium hæredem à se scriptum gravaverat fideicommisso, inhibitâ omni alienatione, jubens ut filius sinat bona ista succedere & pervenire ad legitimos suos liberos, *Willende dat hy de selve goederen sal laten succederen op syne Wettighe Kinderen.* Nascuntur filio liberi ex duobus conjugiis, disputatum est an eo mortuo utrique ad fideicommissum admitti deberent æquali-

liter, & in partes viriles, an verò ſoli liberi primi thori, ad quos rupto primo connubio bona paterna devoluta erant.

Pro æqualitate liberorum & diſtributione fideicommiſſi inter omnes, facit generalis appellatio & vocatio liberorum, quâ ſine dubio tam continentur ſecundi thori liberi quàm primi, ſi ſequimur proprietatem verborum, & jus commune, Bartolus *ad L. Lucius ff. ad S. C. Trebell.* Mich. Graſſus *commun. concluſ. §. fideicommiſſum quæſt.* 12. *n.* 26. Videtur autem ad interpretandam diſpoſitionem hominis potius recurrendum ad naturalem ſenſum & communem intellectum, quàm ad ſtatutum præſertim exorbitans, & tantùm non iniquum. *Pileus*, *Socinus*, *Baldus*, *Decius relati à Peregrino de fideicom. art.* 25. *n.* 52. undè & *Alciatus* tradit *de præſumptionib. reg.* 3. *præſumpt.* 32. non eſſe improprianda verba ut diſpoſitio teſtatoris reddatur conformis Statuto.

Pro liberis autem primi thori facit firmior regula, quæ dictat diſpoſitiones hominum redigi debere ad mentem juris municipalis potiùs, quam ad jus commune, quia Cives & Incolæ jus in quo vivunt magis attendere in dubio cenſentur, quàm id, quo eo in loco homines non utuntur, uti tradunt *Menoch. Fuſarius ſuprà relati*, *itemque Peregrinus d. art.* 25 *n.* 53. quod tunc vel maximè procedit, quando vel conje-

ctura, vel verborum conceptio mentem testatoris eò trahit. Menoch. *d. loco n.* 13. quemadmodum in hac specie, verba superiùs relata eo ducere videntur, scilicet ut sinat filius leges intestati in bonis istis locum habere, atque ita devolvi secundùm præscriptum consuetudinis, quod & ita judicatum est in Martio 1648. in causa *Francisci van Sinnich junioris Suppl.* contra *liberos secundi thori Francisci van Sinnich senioris.*

Hæc tamen decisio quia conflata ex pluribus argumentis & conjecturis conglobatis, vix in exemplum valere poterit, aut trahi in consequentiam ad alios casus, in quibus iste confluxus rationum non videtur.

Ipsa verba dispositionis significabant testatorem voluisse locum dari successioni intestatæ in admittendis liberis gravati ad fideicommissum: Supponit etiam casus, testatorem habitasse, & testamentum scripsisse eo in loco, ubi Devolutio passim obtinet: si verò hæc non concurrant, quia vel testator non retulerit se ad ordinem succedendi ab intestato, vel appareat eum ignorasse consuetudinem Devolutionis, aut eo loco domicilium non habuisse, vel aliud quidpiam se offerat præter ea quæ suprà dicta sunt, diversum fortè erit pronunciandum.

C A-

CAPUT X.

Consensus datus in communi testamento ut superstes conjux disponere possit de bonis Devolutioni subjectis, an revocabilis sit?

SUMMARIUM.

1. *Casus proponitur de revocatione consensus dati, ut superstes conjux de suis bonis devolutis disponat.*
2. *Commune testamentum quisque conjux pro parte sua mutare potest, ergo, ut videtur, etiam consensum ad disponendum datum in communi testamento.*
3. *Consensus datus paciscentibus de hæreditate tertii revocabilis est.*
4. *Permissio patris quâ concedit filio fam. jus testandi revocari potest.*
5. *Veriùs est consensum testandi de bonis devolutis mutari non posse.*
6. *Differentia permissionis quâ conceditur conjugi dispositio de bonis suis devolutis, & quâ permittitur superstiti de bonis præmortui disponere.*
7. *Posterior permissio incidit in speciem donationis causâ mortis alienæ.*
8. *Similis controversia tractata a Præside Everardo* consil. 12.
9. *Dicti consensus non continent donationem vetitam inter conjuges.*
10. *An licentia disponendi data superstiti conjugi fieri possit sub simplici signatura? expeditur per distinctionem.*

SÆpiùs contingit conjuges in communibus tabulis invicem dare facultatem, ut qui alteri superstes erit, liberè possit de bonis suis quibuscumque disponere, etiam Devolutioni subjectis. Hunc 1.
consensum disponendi, an unus conjugum deindè

revocare poſſit, puta clàm condito alio teſtamento, in quo facultas priùs data adimatur, in controverſiam aliquando vocatum memini. Superſtes uſus eâ permiſſione, quam in communi teſtamento acceperat, & ignarus clancularíæ revocationis, alienaverat quædam bona Devolutioni obnoxia, & de aliis diſpoſuerat novo teſtamento contra leges Devolutionis. Utroque defuncto, contenditur de viribus alienationis & diſpoſitionis à conjuge ſuperſtite factæ.

2. Contra eam alienationem & diſpoſitionem dicitur: Unumquemque conjugum commune teſtamentum pro parte ſua mutare ſemper poſſe, cùm revera duo ſint teſtamenta, de quo latè *Peckius de teſtam. conjug. lib.* 1. *cap.* 43. potuiſſe proindè prædefunctum eam clauſulam, tamquam partem ultimæ ſuæ voluntatis, immutare vel temperare, vel abolere.

Cui rei confirmandæ facit, quòd conſenſus ad teſtandum, naturam induat ultimæ voluntatis, quòd paria ſint actum facere & facienti conſentire, ut ratiocinatur hac ipſa in re *Bartolus ad L. cùm pater* §. *liberis ff. de legat.* 2.

3. Conſenſus etiam ille quem vivens aliquis præſtat paciſcentibus de hæreditate ſua uſque ad mortem revocabilis eſt, *L. ult. Cod. de pactis*, *Alciat. ad d. L.* cùm

d. L. cùm tamen accedat pacto, non ultimæ voluntati, ut multò magis in hac ſpecie id recipiendum videatur quàm in iſta.

Pater qui filio familias permiſit donare rem ſuam causâ mortis, poteſt deinde pœnitere & revocare 4.
conſenſum ſuum. Bartol. *ad L. qui pretio ff. de donat. causâ mortis. Cynus, Salicetus ad L. Si fratris Cod. eod. tit. Bartol. ad L. Senium Codice de teſtamentis.*

Ne longum faciam, pro hac parte congeri poſſunt omnia quæ ab Authoribus cumulantur pro mutabilitate conſensûs dati ad teſtandum de re quæ teſtantis non eſt. *Ant. Faber de errorib. Pragmaticorum decade* 52. *Wameſ. cent.* 6. *civili conſil.* 62. *n.* 9. *Everardus conſil.* 12. *Peckius de teſtam. conjug. lib.* 1. *cap.* 43.

Sed cùm hæc ipſa controverſia mota eſſet apud 5.
tribunal Curiæ ſupremæ feudalis, judicatum eſt non potuiſſe defunctum conjugem conſenſum ſemel datum ad teſtandum de bonis poſteà devolvendis revocare.

Longè diverſa eſt hæc ſpecies conſensûs, quâ 6.
unus conjugum permittit alteri diſpoſitionem de ſuis propriis bonis diſſoluto connubio, à permiſſione teſtandi de re aliena, hoc eſt ut unus conjugum de bonis alterius diſponat, quam poſteriorem re-

vo-

vocabilem esse, re adhuc integrâ, hoc est, quamdiu testator vivit, tenent *Ant. Faber d. decade* 52. *errore* 7. *& seq. Wamesf. d. l. n.* 9. *& seq.* Eòque faciunt argumenta anteà adducta, & potissimùm
7. quod incidat hujusmodi permissio in speciem quandam donationis causâ mortis alienæ, ad effectum disponendi de rebus de quibus consensus datus est; ita enim donari potest causa mortis, ut donans non suæ, sed alienæ mortis intuitu donet. *L.* 11. *L.* 18. *ff. de donat. causâ mort. L.* 3. *Cod. eod.* Constat verò omnes mortis causâ donationes & consensus influentes revocabiles esse. Verùm consensus conjugis unius, ut alter testetur de bonis suis Devolutioni obnoxiis, nihil aliud est quàm renunciatio juris consuetudinarii quod competebat conjugi consentienti ne superstes in præjudicium liberorum bona sua alienaret dissoluto matrimonio: quæ renunciatio pactum quoddam continet, quo juri suo quis derogat, ex quo pacto exceptio nascitur contra renunciantem ejusque hæredes, uti ex alio quovis pacto, quæ exceptio non potest deinde pœnitentiâ renunciantis, seu mutatione voluntatis aboleri. *Cap. quod semel. Cap. mutare de reg. juris n.* 6.

Jus Devolutionis tale est, ut quamdiu nuptiæ constant, derogari ei possit iis modis de quibus su-

ſuperiore capite dictum eſt ; nam introductum quidem eſt in favorem liberorum, ſed hic favor quaſi concreditus eſt arbitrio parentum, qui optimè liberis ſuis conſulturi exiſtimantur. Atque ita réſidet hoc jus in perſona conjugum, ut ſicut eis invitis fieri non poteſt quin poſt mortem priùs decedentis bona ſuperſtitis ei adſtringantur & ſubjaceant prohibitioni alienationis, ita ipſis dum vivunt volentibus, hoc eſt renunciantibus, & ſic tacitè paciſcentibus idem jus extinguitur, ſeu potiùs non naſcitur, nec liberis unquam quæritur.

Similem controverſiam tractat *Præſes Everardus conſil.* 12. ubi marito teſtanti permiſerat uxor diſpoſitionem de uſufructu bonorum ſuorum, quem conſuetudo poſt mortem mariti ei deferebat ; ſed ut eſt varius & mutabilis ſexus, hanc permiſſionem ſeu conſenſum deinde revocaverat. Reſpondit Everardus non potuiſſe mulierem à conſenſu ſemel præſtito reſilire, ac nihilò ſeciùs maritum de bonis ſuis eorumque uſufructu potuiſſe teſtari. 8.

Nihil movit quòd conſenſus ille inſertus teſtamento videretur pars eſſe ultimæ voluntatis, adeoque mutationi obnoxius, nam contractus & pacta inſerta teſtamentis non minùs valent, & obligationem exceptionemque producunt, quàm quæ

ſeorſim ac ſeparatim ineuntur, *Doctores ad* §. *Sed cùm paulatim inſtit. de teſtam. Gloſſa in L. hæredes palam* §. *fin. ff. eod. tit.*

Reliqua argumenta deſumpta à mutabilitate conſensûs dati ad teſtandum de re aliena facilè diluuntur ex his quæ jam dicta ſunt.

9. Si quis opponat incidere hunc conſenſum in ſpeciem quamdam donationis illicitæ inter conjuges, facilè id refellitur ex his quæ ſuprà monuimus; effectum omnem talis conſensûs incidere in tempus ſoluti matrimonii, quo vir & uxor eſſe deſinent, quales donationes inter conjuges jus non improbat, vide *Peckium de teſtamentis conjugum lib.* 1. *cap.* 43. atque ita judicatum 30. Aug. 1650. in feudali Curia Brabantiæ in cauſa Philippi Sylvii Impet. contra Viduam Joannis Sylvii Syndici Lovanienſis, &c.

10. Illud aliquando quæſitum ſcio, an licentia diſponendi, quam unus conjugum alteri ſuperſtiti præſtat, poſſit concedi ſub ſimplici ſignatura, an verò requirat teſtamentarias ſolemnitates?

Facilis verò eſt deciſio, ſi ſequamur veſtigia diſtinctionis jam adductæ; vel enim datur ſuperſtiti facultas de rebus ſuis propriis Devolutioni ſubjectis diſponendi: & hoc caſu (cùm contineat tantùm renunciationem ejus juris, quod habebat defunctus

ctus impediendi omnem dispositionem) nihil prohibet eam expediri sub tali forma, quâ cætera pacta & actus inter vivos expediuntur, hoc est etiam sub sola signatura.

Si verò quis urgeat periculosum esse in rebus momentosis tantam vim tribuere soli nominis subscriptioni, aut soli comparationi litterarum, videat quæ de fide ac probatione resultante ex sola comparatione litterarum scribant Authores, & nominatim *Menoch. de arbit. jud. cap.* 115.

Aliud verò membrum distinctionis, ubi licentia datur superstiti de bonis prædefuncti disponendi, contrariam subit definitionem, nimirùm cùm species quædam sit ultimæ voluntatis, eamdem quàm aliæ, solemnitatem requirit.



CAPUT XI.

Datâ facultate superstiti conjugi de bonis prædefuncti disponendi, an etiam concessum censeatur ut de propriis devolutioni subjectis disponat.

SUMMARIUM.

1. *Concessâ licentiâ superstiti disponendi de bonis prædefuncti, an hoc ipso data intelligatur potestas etiam disponendi de bonis devolutis?*
2. *Opinio negans amplectenda.*
3. *In ultimis voluntatibus non admittitur extensio de casu ad casum, nec de bonis ad bona per ratiocinationes à majori ad minus, aut alias similes.*

SÆpè sic concipiuntur conjugum testamenta, ut qui alteri superstes erit, liberam habeat dipositionem, & alienandi facultatem de prædefuncti bonis.
1. Id interdum utile est ipsis liberis, cùm in quærenda iis conditione nuptiarum, vel educatione immodici sumptûs subeundi sunt, quos fervente fortè bello redigere parentes ex proventu annuo non possunt. Cùm verò non omnia testantibus in actu testandi occurrant, nihil subindè expressum reperitur de bonis superstitis Devolutioni subjectis alienandis, aut obligandis, quod si cogitassent, fortè

tè ab iis additum fuiſſet tanquam minus & levius, unde videri poſſet id quod plus eſt comprehendere etiam quod minus eſt, per regulam *cui licet de reg. jur. in 6.* plus autem eſt de alienis quàm de ſuis diſponere, idque eò proniùs dicendum videtur, quòd hâc ratione res ad naturalem ſuum ſtatum redeat, quo cuique licitum eſt de bonis propriis diſponere.

Sed partem negantem meritò amplectitur *Peckius lib. 5. de teſtam. conjug. cap.* 20. quia quod verbis teſtamenti expreſſum non eſt, pro omiſſo habetur, nec ſuppleri aut extendi poteſt diſpoſitio quæ vergit in præjudicium & damnum liberorum, *arg. L.* 2. *ff. ne quid in loco pub.* ubi etiam ipſius Principis verba ſtrictè accipienda ſunt, ne tertium lædant. 2.

Argumentum verò à majori ad minus vel à ſimili in ultimis voluntatibus nihil valet: nam nulla firmitas eſt in hac ratiocinatione, reliquit teſtator quod plus eſt, ergo etiam quod minus eſt; potuit enim variis de cauſis id non velle. Potuit pro ſimili non habere quod nos poſteà ſimiles eſſe interpretamur, & quid ſi fortè in conceptu ſuo erravit, debetne ejus diſpoſitio ad regulas prudentiæ civilis exigi, qui aliter fortè de rebus ſenſit? minimè gentium: atque ideò generaliter tenendum, nec de perſona ad perſonam, 3.

nec de caſu ad caſum, nec de bonis ad bona fieri poſſe extenſionem in ultimis voluntatibus, niſi ſpeciali aliquâ lege id indultum ſit. Pupillaris ſubſtitutio comprehendit quidem vulgarem, & ſic de caſu ad caſum fit extenſio. *L. 4. ff. de vulg. & pupill.* Sed id factum *ex Marci & Veri conſtitutione* inquit Textus, non ex ſimplici Juriſconſultorum interpretatione.

Alia extenſio *in L. 64. ff. de legat.* 2. etiam nititur reſcripto Imperatoris. Ubi verò nulla occurrit authoritas Principis, ſolent reſpondere Juriſconſulti non poſſe fieri extenſionem etiam ad caſum ſimilem, aut ejuſdem rationis, ut *in L. commodiſſimè ff. de liberis & poſthumis* ab iis factum eſt, non aliâ adductâ ratione, quàm quòd *caſus non ſit teſtamento comprehenſus.* Vide *Alciat. ad L. 1. ff. de Vulgari, Anton. Faber de errorib. Pragm. decade 26. errore 3.* ad deciſionem proindè propoſitæ quæſtionis ſufficit dicere, facultas alienandi bona Devolutioni ſubjecta non eſt teſtamento expreſſim conceſſa, ideoque nec competit.

In nulla parte Juris Civilis perniciosiùs errari puto, quàm in extendendis ultimis voluntatibus de caſu ad caſum, de conditione ad conditionem, & interdum etiam de perſona ad perſonam: undè nati ſunt tot commentarii *de tacitis & ambiguis fidei-*

com-

commiſſis, *de præſumptionibus*, *de conjecturis ultimarum voluntatum*, cùm totum hoc genus commentandi, ubi ſine verbis diſpoſitiones introducuntur, repudiandum fuerit & abolendum, uti conſtanter fecerunt juris noſtri Antiſtites, qui ad omnem diſpoſitionem duo ſemper concurrere voluerunt, voluntatem nimirum cum ſcripto, nec alteri ſine altero locum dederunt, uti dilucidè oſtendunt loca quædam juris, quæ in eam rem faciunt, & nominatim *L. quoties ff. de hæred. inſtit.* in verbis, *Si quis errans in corpore hominis, alium ſcripſit hæredem quàm volebat, placet neque eum hæredem eſſe qui ſcriptus eſt, quia voluntate deficitur, neque eum quem voluit, quoniam ſcriptus non eſt.*

Ejuſdem ſententiæ eſt quod dicitur *in L. labio ff. de ſuppellectile legata. Non videtur quis dixiſſe cujus non ſuo nomine uſus ſit: etſi enim prior atque potior eſt mens dicentis quam vox, tamen nemo ſine voce dixiſſe exiſtimatur.*

Atque his veſtigiis inſiſtentes Principes noſtri *Art.* 17. *Edicti perpetui* 1611. ſalubriter ſtatuerunt, ut qui fideicommiſſum, vel ſubſtitutionem ordinare volent, claris verbis id exprimant, quæ deinde verba Judices præcisè ſequantur. Articulus in hunc modum conceptus eſt. *Pour obvier*

à toutes disputes qui souventefois adviennent en ces matieres de substitutions, & fideicommis, nous enchargeons à ceux qui en vueillent user, d'expliquer clairement par instrument qu'ils en feront dresser leurs volontez, & intentions, lesquelles voulons estre punctuellement suivies. Quæ verba pœnitus exscindere videntur totam materiam tacitorum fideicommissorum: Si quis enim non apertè, vel dilucidè vocatus contendat per conjecturas, indicia, aut probabiles consequentiarum ductus stabilire substitutionem, vel fideicommissum, non est audiendus, cum mens Edicti sit omnes disputationes ea de re amputare. Sed hæc obiter & extra oleas.



C A-

CAPUT XII.

Conjux ſuperſtes utrùm teneatur Inventarium conficere bonorum devolutorum, vel ſatiſdare, ea ſalva fore.

SUMMARIUM.

1. *Non tenetur parens ſuperſtes ſecundùm mores noſtros, conficere Inventarium bonorum devolutorum.*
2. *Ratio, quia non eſt obnoxius reddendis rationibus.*
3. *Poſſunt tamen liberi exigere deſcriptionem bonorum devolutorum, & quæ ſit utriuſque differentia?*
4. *Etiam indubitatum eſt, Parentem ſuperſtitem non teneri ad cautionem fructuariam.*
5. *Exceptio ab hac regula, quæ tamen moribus noſtris non obſervatur.*

UTcumque inter Authores juris diſputetur, utrùm pater adminiſtrator ac uſufructuarius bonorum filii ſui, obnoxius ſit Inventario conficiendo de iiſdem bonis, & quidam ita ſentiant, ut *Speculator titulo de inſtrumentorum editione* §. *ult. verſiculo, quid de Patre, Pinel. ad l.* 1. *p.* 2. *n.* 23. *Cod. de bonis maternis, And. Gail l.* 2. *obſervat.* 144. *n.* 16.

Apud nos certi juris eſt patrem id facere non obſtringi, etiamſi tranſierit ad ſecundas nuptias, & novercam liberis ſuperinduxerit: quod etiam in Camera Spirenſi ita obtinere, atque eſſe receptio-

N rem

rem Interpretum ſententiam, teſtatur *Mynſingerus cent. 2. obſervat. 93.* idque ſic etiam deciſum eſt per conſuetudines Leodienſes *art. 16.* ad quem vide obſervationem præſtantiſſimi viri *Caroli de Mean* 113. Ratio in aperto eſt, quòd conjux ſuperſtes liberam habeat fruitionem rationibus reddendis minimè obnoxiam, *l. fin. Cod. de bon. matern.* qua-
2. rum causâ confectio Inventarii aliàs injungitur, atque omnino ſufficit in hac re, ſi dicamus nullâ lege, aut ſtatuto, Inventarii onus ſuperſtiti conjugi impoſitum eſſe, qui cùm re ipsâ non tantùm adminiſtrator & fructuarius eorumdem bonorum ſit, ſed etiam, ut ſuprà expoſitum eſt, verus proprietarius, minùs ab eo exigi poteſt quod non exigitur à patre nudo uſufructuario & adminiſtratore, uti ſe res habet in terminis juris communis.

3. Adjiciunt plerique, & rectè, hoc temperamentum, ut poſtulare poſſit filius à parente ſuo ſuperſtite deſcriptionem bonorum omnium devolutorum, quæ aliquando ſerviat probationi veritatis contra occultationes & fraudulentas machinationes, quod cùm parenti non noceat, & liberis utile ſit, atque adeò ſubinde neceſſarium, officium Judicis implorari poterit ut ita fieri mandet: multùm verò intereſt inter ejuſmodi deſcriptionem ac inventarium,

rium, cùm hoc poſtremum involutum ſit multis obſervationibus, ſolennitatibus & cautionibus, *juxta leg. final. Cod. de jure deliberandi*, atque ita ſpectabile gravamen contineret ipſius parentis, *Mynſing. & Gail d. loco, aliique relati à Domino Mean.*

Æquè indubitatum eſt ſecundùm mores noſtros, parentis ſuperſtitis uſumfructum non poſſe onerari 4.
cautione fructuariâ, ſive filii devolutarii emancipati ſint, ſive in poteſtate (cujus qualitatis non magna ratio ſecundùm mores noſtros habetur) id enim tribuitur reverentiæ paternæ, eamque fiduciam habent leges eum rectè verſaturum reſpectu liberorum ſuorum, ut opus eſſe non exiſtimetur communibus cautionibus, quibus hæredes & uſufructuarii extranei, aliique onerantur. Quod jus per conſuetudines Leodienſes ita etiam definitum eſt, *Art. 16. relato à dicto Domino Mean in obſervatione 113.*

Excipitur à quibuſdam caſus *Legis, Jubemus 6.* 5.
§. 1. Cod. ad Senatuſconſ. Trebell. de cujus interpretatione vide *Pinellum ad L. primam p. 2. n. 31. Cod. de bonis maternis.* Atque eſt quidem iſta vera exceptio à jure communi, quod generatim parentem immunem reddit, & abſolvit à ſatiſdatione pro bonis liberorum, in caſu verò dictæ legis parens

propter iterationem nuptiarum, cogitur ad ſatiſdandum ſervandæ rei fideicommiſſo ſubjectæ.

Sed præterquam quòd ea lex hodie moribus noſtris non obtineat, *uti notat Groenweg. ad eamdem L.* applicabilis etiam non eſt uſufructui noſtro, qui mixtus eſt cum proprietate; neque argumentum idoneum ſumi poteſt ab uno uſufructu ad alium, ut quia non poſſit aliquis qui ſimplicem uſufructum habet, etiam non poſſit ille, cui plus competit: pater jure communi ſimplicem habet uſufructum, ſeu *formalem*, at moribus noſtris habet *cauſalem*, quod plus eſt, ſi aliquid interdictum eſt uſufructuario formali, non eſt conſequens, idem cenſeri interdictum cauſali uſufructuario, qui proprietatem revera habet, uti ſuprà dictum.



C A-

CAPUT XIII.

Utrùm liberi devolutarii ſuſtineant æs alienum contractum durante matrimonio parentum.

SUMMARIUM.

1. *Regula generalis eſt, liberos devolutarios non teneri ad debita contracta durante matrimonio parentum.*
2. *Duplex ratio illius regulæ.*
3. *Conjux ſuperſtes uti hæres mobiliaris tenetur ad eadem debita.*
4. *Hoc jus conſentaneum eſt juriſprudentiæ Romanæ.*
5. *In ſubſidium obſtringuntur bona devoluta.*
6. *Quid dicendum de debitis contractis ante conjugium?*
7. *Quid de debitis contractis à ſuperſtite parente poſt matrimonium?*
8. *Caſus deciſus ex dictis principiis.*

PRo regula generali in hac materia æris alieni re- 1.
ceptum eſt, liberos devolutarios, ſeu ad quos proprietas ſuperſtitis parentis devoluta eſt, non teneri ad ſolutionem debitorum quæ contracta ſunt durante matrimonio parentum, niſi in ſubſidium diſcuſſis priùs mobilibus. Cujus juris ratio evidens eſt, quòd per devolutionem liberi neque fiant hæredes parentis ſuperſtitis (cùm viventis nulla ſit hæreditas vel ſucceſſio. *L. qui ſuperſtitis ff. de acq. hæreditate, L. 1. ff. de hæredit. & act. vend.*) neque ſucceſſores 2.
aut

aut possessores bonorum universales; imò nec particulares, cùm possessio bonorum devolutorum, & fructus omnis eorum, non sit apud liberos, sed maneat apud superstitem unà cum proprietate ipsa, ut antè expositum est, quodque proinde non sit æquum propter securitatem succedendi, quam solam Devolutio liberis adfert, eos onera ac debita parentis sustinere, quæ rejicienda sunt in eos, qui commoda bonorum precipiunt, secundùm communes juris regulas, quæ dictant eos sustinere onera, qui habent commoda.

3. Est & alia ratio non minùs stringens; quòd scilicet moribus nostris atque etiam quibusdam consuetudinibus Galliæ, conjux superstes prædefuncto conjuge sit hæres mobiliaris, cui hæreditati cùm conjunctum seu immixtum sit onus æris alieni, tenetur ille eo nomine ante omnes aliorum bonorum detentores, atque etiam ultra vires hæreditarias, juxta communem observationem hæreditatum, atque adeò etiam in solidum, non admissâ distributione debitorum pro rata super aliis bonis, uti facit *Art. 334. novarum consuetudinum Parisiensium*, prout refert solidissimus Jurisconsultus *Richart en son Traitté des Donations p. 3. n. 1229.* vide etiam *Cocquil. en ses Institutions Forenses tit. des Successions.*

Nam per apprehensionem mobilium simpliciter & generaliter fit hæres qui supervivit alteri conjugi, imò

imò alicubi, veluti in diſtrictu Bruxellenſi ſuperſtes conjux ſit defuncto neceſſarius hæres, hoc eſt ſine facultate abſtinendi.

Quòd verò hæres mobiliaris primo loco conveni- 4.
ri debeat, priuſquam ad immobilia veniatur, ex ipſo Jure Civili originem habet, quod hunc ordinem in executionibus conſtituit, ut primùm mobilia diſtrahantur. *L. fin.* §. *ſin autem æs alienum*, *Cod. de bon. matern. L. à Divo Pio ff. de re judicat.* Cui & accedit æquitas, quòd mobilia minus præjudicii adferant ſi diſtrahantur, quàm immobilia, quodque promptior eorum ſit diſtractio.

Factâ autem diſcuſſione hæredis mobiliaris (cu- 5.
jus etiam immobilia excutienda ſunt) ſi tunc appareat ſolvendo eum non eſſe, veniri poterit ad bona devoluta, pro debitis conſtante matrimonio creatis, cùm æquitas non patiatur bona integra remanere apud liberos, & creditores fruſtrari debitis ſuis, & nihil aliud dici poſſit devolutum eſſe, quàm quod deducto ære alieno ſupereſt: bona enim non ſunt niſi deducto ære alieno. *L. ſubſignatum* §. *bona ff. de verb. ſignif.* vide *d. Ricart n.* 1227.

Quid dicendum de debitis conflatis à con- 6.
jugum aliquo ante initum matrimonium? idem ſtatuendum de his ac de creatis conſtante matrimonio, quia illata ſunt in ipſam ſocietatem

con-

conjugalem, & pars communionis facta sunt.

Aliud est de debitis creatis à superstite parente dissoluto matrimonio, & durante viduitate: hæc enim nulla ex parte, & nec in subsidium agnosci debent à liberis, nisi facti posteà fuerint hæredes eo defuncto, quod non sunt ex simplici retentione bonorum devolutorum, sed ex declaratione voluntatis, vel ex gestione pro hærede, & apprehensione aliorum bonorum.

Hæc in judiciis nostris ita servari vidi, ubi inter cætera occurrit, quòd filia devolutaria conveniretur pro debitis paternis, & exciperet de non excusso priùs parente superstite usufructuario hæreditario, quem dicebat adhuc possidere modicos quosdam proventûs.

Atque insuper movebat quòd reditus annuus unde debitum nascebatur, cessisset aliquot annis post jam solutum matrimonium, non posse verò filiam premi pro debitis post matrimonium solutum contractis. Sed respondebatur ad primum, licèt pater exigua quædam bona & proventûs retineret, non esse eum rigidâ & inverecundâ executione pulsandum, utpotè qui habeat beneficium competentiæ, ut non cogatur ultrà quàm commodè facere potest.

Ad secundùm verò dicebatur, cessisse quidem Canones aliquot dirempto matrimonio; sed originem debiti procedere ex sorte accepta à creditore constanti-

tibus nuptiis, & obligatâ hypothecâ, cujus naturam habere debeant recurrentes annui proventus indè nati. Atque ſic judicatum pro N. van Hoven de Believren, contra tutorem neptis ſuæ, in Decembri 1645.

CAPUT XIV.

De prohibita alienatione bonorum devolutorum.

SUMMARIUM.

1. *Similis eſt Devolutio fideicommiſſ. quo quis gravatur liberis ſuis poſt mortem ſuam reſtituere.*
2. *Valet alienatio interim dum pendet conditio an liberi ſupervivent parenti ſuo, an non.*
3. *Si deficiat conditio, hoc eſt ſi liberi omnes moriantur ante patrem, manet alienatio perpetuò firma.*
4. *Idem ſtatutum à Juſtiniano circa nuptialia lucra.*
5. *Quid ſi pater dilapidet & perdat res devolutas? an locus ſit hodie L. Imperator ff. ad S. C. Trebell.*
6. *Ad religionem Judicis pertinet quomodo liberis proſpiciat.*
7. *An vindicare poſſint liberi res devolutas & alienatas, ſi ſint hæredes parentis qui alienavit?*
8. *Stabilitur opinio negans, & reſpondetur contrariis argumentis.*
9. *Quid veniat nomine alienationis? remiſſiùs.*
10. *Quid dicendum de alienatione bonorum devolutorum facta à liberis cum conſenſu vel ſine conſenſu patris? explicatur per varios caſus & ſpecies.*
11. *An parens conſentiens alienationi quam faciunt liberi ſibi præjudicet in pretio?*
12. *An liberi cedere poſſint extraneo jus ſuum conditionale quod habent ex Devolutione?*

CUm uti anteà dictum eſt, res devolutæ maneant in dominio parentis ſuperſtitis cum vin- 1.

O cu-

culo adſtrictionis erga liberos, ſub hac conditione, ſi parenti iſti ſupervivant, ſimilis eſt Devolutio fideicommiſſo ordinato in favorem liberorum, quo hæres gravatus nexu reali obſtringitur bona ſibi relicta, poſt mortem ſuam liberis reſtituere; ineſt enim fideicommiſſo eadem conditio, ſi liberorum aliqui parenti ſuo ſuperſtites ſint, proinde poſſunt huc transferri omnia quæ copiosè ab Authoribus ſcripta ſunt de alienatione rerum fideicommiſſo conditionali ſubjectarum. *Peregrinus de fideicommiſ. cap. 4. n. 6. & ſeq. Molina de jure primogen. lib. 1. cap. 19. Fuſarius de fideicomm. quæſt.* 554. ut nihil neceſsè ſit eadem omnia huc tranſcribere, ſed ſufficiat pauca libare.

2. Valida proinde eſt alienatio rerum devolutarum, exſtantibus liberis, à parente ſuperſtite facta, & dominium transfert in accipientes donec conditio pendet & incertum adhuc eſt an liberi parenti ſupervivent: quod ſi ita contingat, reſolvetur alienatio, & dominium ipſo jure tranſibit ad liberos argumento *L. Sancimus §. cùm autem Cod. ad S. C. Trebellian. Peregrinus d. l. n.* 7. Si verò deficiat conditio quæ ineſt Devolutioni, hoc eſt ſi ante parentem ſuum moriantur omnes filii, nec ſuperſint ex iis nepotes, rata & perpetuò firma manebit alienatio,
3. cùm nihil jam ſit quod eam poſſit infringere, quod ſi-

ſimiliter conſtituit Juſtinianus *Novellâ* 22. *cap.* 24. circa lucra nuptialia, quæ etſi proprietate tenus pertineant ad liberos, adeoque alienatio eorum ſtricto jure irrita ſit, noluit tamen Imperator parentes dum 4.
vivunt à liberis inquietari; *erubeſcit enim Lex*, inquit, *caſtigatores filios genitoribus ſtatuere, & ſi moriantur omnes, tunc ex effectu ratum erit quod alienatum eſt; quis enim infringat, filiis quibus ſolùm hoc indulſimus, non exiſtentibus.* Verba ſunt dictæ Novellæ cap. 26.

Et ut alibi ratiocinatur Juriſconſultus ad quid ante tempus favere liberis nihil fortè indè accepturis *L.* 10. §. *ult. ff de bonis poſſeſſ. cont. tab.* Faceſſant igitur liberi inquietare parentes ſuos dum vivunt, ac ſufficiat eis ſecuritas reverſionis ſi quid diſtractum ſit, & ipſi ſuperſint, quæ reverſio ſine ullo eorum facto dominium eis confirmat, & rei vindicationem parente mortuo tribuit.

Quid tamen ſi delapidet & diſſipet parens bona ad 5.
liberos ſuos devoluta, ſic ut difficilis poſteà futura ſit eorum perquiſitio & recuperatio, documentis fortè ſuppreſſis aut deperditis, aut rebus clàm geſtis, vel etiam in potentiorem aut rixoſum hominem tranſlatis fundis?

Jam ſuprà aliquid de hac re ceptum eſt dici cap. 2 ſcilicet non poſſe ideò patrem cogi bona reliqua de-

voluta ante tempus filio cedere, nec rectè huc applicari *L. Imperator* 50. *ff. ad Trebellianum*, ubi fideicommiſſum conditionale patri impoſitum, ante eventum conditionis in filium transfertur ob patris dilapidationem; habet enim lex iſta rationem ſpecialem ex veteris juris ſcrupuloſitate petitam, hodiernis moribus non applicabilem; *quia cautiones* inquit Textus, *non poterant interponi inter patrem & filium conſervatâ patriâ poteſtate, ideò Imperator damnum conditionis propter fraudem inflixit.* Hoc eſt, non poterat caveri filio de reſtituendo fideicommiſſo, eò quòd ob patriam poteſtatem contractus inter filium & patrem non conſiſterent, *L. frater à fratre ff. de condictione indebiti*, quæ ratio cùm hodie ceſſet, abolitâ per mores ſtrictâ illâ patriâ poteſtate, poſſintque nunc inter patrem & filium cautiones intercedere, & præterea aliis remediis diſſipationi bonorum poſſit occurri, non exiſtimo rigori iſtius legis hodie locum eſſe dandum, prout nec jure Codicis Juſtinianei eam ampliùs ſubſiſtere cenſent *Raphael Cumanus & Joannes de Imola ad d. L. Imperator*, quòd jam tunc validæ eſſent cautiones inter patrem & filium circa res adventitias.

Quibus accedit quòd pœnæ privatæ in civilibus negotiis hodie exoleverint, ut plerique Pragmatici annotarunt, *Zypeus in notit. Juris Belgici cap. de*

pœ-

pœnis in versu pœnæ , *Argentreus ad Consuetud. Britan. art.* 278. *n.* 3. *Vinnius ad* §. 26. *Sed furti inst. de actionib. Imbertus in Enchiridio in verbo Peine pecuniaire* , *GroenWeg. ad Cod. de pœnis* , & ut non essent generaliter sublatæ, non posset hoc exemplum ab Imperatore extra ordinem editum, in causa fideicommissi, produci & extendi ad alios consimiles casus etiam ex rationis paritate, *L. commodissimè ff. de liberis & posthumis.*

Quid? quòd Bartolus & alii nonnulli eam legem ad mobilia tantùm pertinere velint, quòd recuperatio immobilium non adeò difficilis aut fraudulosa esse soleat, atqui Devolutio tantùm ad immobilia pertinet.

Proinde ad religionem Judicis pertinebit, quo- 6.
modo filio prospiciat ubi evidens periculum ei imminebit ex fraude paterna. Vidi aliquando inhibitionem fieri judici ubi bona sita sunt, ne mancipationes vel oppignorationes fieri sineret, aut operas legis quæ hodie necessariæ sunt, admitteret, idque actis publicis insinuaretur, qualis prohibitio efficit ne jus ullum ex alienatione transferri possit, & ea quæ in contrarium aguntur, irrita sint. Potest etiam denunciari vinculum Devolutionis emptoribus & creditoribus, & si aperta sit parentis malitia & prodigalitas in necem liberorum, poterunt sibi liberi prof-

prospicere interdicto publico, quod contra prodigos frequentatur *L.* 1. 2. & 4. *ff. de curatore furiosi.*

7. Circa vindicationem quæ liberis integra est, ut bona devoluta, quæ alienata fuerint, avocent ab emptoribus, illud aliquando disputari vidi; an si hæredes illius parentis fuerint qui alienavit, repelli possint? quod mirum est adhuc ad tribunalia deduci disputandum, cùm clara decisio existet in fortiore spe-
8. cie, *in L. cùm à matre Cod. de rei vindicat.* ubi cùm mater rem filii vendidisset, quæ pleno jure illius erat, repellitur filius posteà vindicans pro ea parte quâ hæres matris est, quantò magis id obtinere debet in ea re, cujus proprietas revera adhuc ipsius parentis est, & filio solùm addicta sub incerto eventu & conditione.

Nullius momenti est quod objicitur, posse hæredem venire contra factum defuncti, quando id tendit ad fraudandum eum beneficio legis vel consuetudinis, *L.* 2. *Cod. Si in fraudem patroni, & ibi Doctores*, nam id generaliter verum non est, sed tunc tantùm, cùm aliter ad lucrum lege delatum pervenire non potest hæres, nisi adeundo hæreditatem, quod evenit in patrono, qui alienata à liberto in fraudem portionis sibi debitæ, rescindere potest, etsi hæres ejus sit, quia cogitur hæres esse, si portionem suam consequi velit, vide latiùs *Nicolaum Burgundum de evictionibus Cap.* 103.

Non

Non ſtringit etiam quod movetur, patri prohibitam eſſe per conſuetudines venditionem rerum devolutarum, conſequenter nullam eſſe & irritam, ſi fiat, quæ autem nullius momenti ſunt non obſtringunt hæredem, nec eo nomine tenetur filius ad præſtandum factum patris, quia jure non ſubſiſtit. *L. non dubium Cod. de legibus*, *Anton. Faber ad tit. Cod. de hæreditar. actionib. defin.* 4. *in notis*, nam prohibitio iſta non contractum ipſum venditionis, aut obligationem perſonalem, quæ inde naſcitur, inficit; ſed alienationem quæ inde ſequitur, nam venditionis nomine ſæpè in jure ipſa alienatio venit, quocumque ex contractu fiat, *L. ſtatu liberi* 29. §. 1. *verſ. Quoniam lex* 12. *tabularum ff. de ſtatu liberis*, dirigitur prohibitio in favorem filiorum, non venditoris, qui ex venditione rerum devolutarum ſine dubio obligationem ex vendito contrahit, uti generatim ex venditione rei alienæ contrahitur, *L. rem alienam ff. de contrahend. emptione*; eam autem obligationem patris, ſi filius voluntariè adiens hæreditatem, cum reliquo omni jure in ſe ſuſcipiat, nihil eſt quod eum eximere poſſit, & tutum præſtare contra emptorem, latè *Pinel. ad L.* 1. *Cod. de bonis maternis parte* 3. *n.* 79.

Non minor prohibitio patrem adſtringit circa res adventitias liberorum, quàm circa res devolutas, *l.* 1. *Cod. de bonis maternis*, *l.* 6. & *ult. Cod. de bonis quæ li-*

liberis, & tamen nemo hæſitat, quin filius hæres patris alienationem à patre factam debeat ratam habere.

9. Quid porrò veniat nomine alienationis, quam interdictam dicimus eſſe patri, petendum eſt ex communibus locis ubi de alienatione vetita plenis Commentariis agitur, ut apud *Pinellum Cod. de bonis maternis parte* 3. *Peregrinum de fideicommiſſis*, *&c.*

Illud vix pretium operæ eſt admonere, prohibitione alienandi non contineri alienationes neceſſarias ex obligatione quapiam præcedenti reſultantes, veluti ſi res vendita ſit conſtante matrimonio, & ad traditionem agatur illo diſſoluto. Sic interpretati ſunt J.C. prohibitionem donandi inter conjuges, ut qui donavit ante conjugium non vetetur tradere eo conſtante, *l. ſi res donata* §. *ſi Cenſus ff. de donat. inter vir. &c.*

Diximus quid juris ſit de alienatione quam parens ſuperſtes facit bonorum devolutorum; nunc quid cenſendum de alienatione à liberis facta eorumdem
10. bonorum? Si pater conſentiat alienationi quam facit filius, ſuum tantùm jus remittere intelligitur, non etiam præjudicare ſpei & juri conditionali quæ aliis liberis ex legibus Devolutionis competit in eamdem portionem, ſi filius alienans ante eos moriatur, non enim cenſetur is qui moritur ante patrem unquam portionem ſuam habuiſſe. Quòd ſi nulli alii liberi tunc ſint, vel

vel omnes qui ſunt unà cum patre conſentiant, nihil eſt quod eam alienationem remoretur. Si verò filius, nullo accedente conſenſu patris, alienet portionem ſuam, ſibi quidem præjudicat, & jus conditionale ſuum abdicare cenſetur, ac emptori quod vendidit præſtare tenetur cum ſua cauſa, atque cum iis eventibus qui rem poſteà ejus propriam pleno jure facturi ſunt. Quæ omnia fluunt ex principiis quæ jam adducta ſunt, & plura reperire eſt apud *Peregrinum art.*40. *in materia alienationis fideicommiſſi*, cui hac in parte ſimilis eſt iſta; ſed ſic alienans patri ſuo iniquam conditionem inferre non poteſt, qui proinde poſſeſſionem & fructum rei alienatæ retinebit cum ſpe reverſionis & conſolidationis.

Si vendiderit verò totam rem devolutam filius qui partem tantùm habebat? eo loco res haberi debebit, ſicuti jus eſt de re integrè vendita quæ pro parte aliena eſt, quo caſu alienatio quidem nulla fit, niſi pro ea parte quæ vendentis eſt; ſed quæ actiones empti & venditi inter ſe contrahentes naſcantur, tractatur *ſub tit. ff. de contrah. empt. & ſingulariter in L. rem alienam* 28. *ff. eod. tit.*

Quæri hic quoque poteſt, an parens qui conſenſit devolutam rem vendi à filio, etiam in pretio ſibi præjudicet; ſed cùm in ſimili id plenè tractatum ſit apud *Peregrinum d. l. n.* 67. *& ſeq.* nolumus molem

hujus Tractatûs crescere communibus aliundè accitis quæstionibus.

Illud magis ad rem nostram facit, quærere an sicuti filius devolutarius, inter vivos potest jus suum conditionale, seu spem quam habet tertio cedere ac vendere, ita etiam possit testamento alteri hoc jus relinquere? quod affirmandum est, quia non tantùm jus firmum, certum & purum testamento relinqui potest, sed etiam conditionale & incertum, atque adeò spes etiam fideicommissi conditionalis, in casibus in quibus fideicommissum transmissibile est (quos enumerat *Fusarius de substit. quæst.* 190.) legari potest *d. Fusarius quæst.* 191. post *Baldum* & alios Authores ab eo relatos, quos etiam sequitur *D. de Mean ad jus Leodiense. observ.* 87.

Neque obest quod dicitur *l. ult. in fin. ff. communia prædiorum*: *non sicut viventium, ita & defunctorum actus suspendi receptum est*, id enim accipiendum de legatis & relictis puris, non de conditionalibus, vel in diem, ut benè post Azonem explicat *Ant. Faber in rational. ibidem.* Talis autem dispositio, si testator moriatur ante parentem superstitem, evanescit, & quasi caduca fieri videtur.

CAPUT XV.

Bona devoluta an imputentur in legitimam Liberorum.

SUMMARIUM.

1. *Constitutio quæstionis de imputatione bonorum devolutorum in legitimam liberorum, idq́ per varias species.*
2. *Argumentum quo nititur opinio de non imputando res devolutas in legitimam liberorum.*
3. *Alterum argumentum ad eandem rem.*
4. *Confirmatur eadem opinio variis exemplis.*
5. *Respondetur ad argumenta & exempla adducta.*
6. *Præcautio & explicatio conclusionis de non imputandis devolutis in legitimam, & quando sic legitimam habeant filii, ut sint liberi ab ære alieno parentum.*

IN varias facti species incidere hæc quæstio potest, 1.
quid enim si bona parentis superstitis ad liberos devoluta, æquent aut superent quantitatem legitimæ ipsis debitæ, an de reliquis quæ Devolutioni subjecta non sunt, liberam non habebit parens disponendi facultatem, puta de posteà acquisitis? vel debebit ex his legitimam adhuc liberis relinquere, non imputatis anteà devolutis? rursum pone conjugem superstitem transiisse ad secundas nuptias, & alios suscepisse liberos, non poterit priores contentos esse jubere de-

volutis bonis, si legitimæ sufficiant & posterioribus reliqua relinquere maximè si hâc ratione liberi utriusque thori æquales futuri sint?

Circumfertur à Pragmaticis sententia quædam Concilii supremi Brabantiæ, quâ judicatum esse aiunt, bona devoluta non imputari in legitimam liberorum prioris thori; sed ea habere illos præcipua, & ex cæteris bonis liberis, aut posteà quæsitis integram legitimam esse conficiendam, refertur hæc sententia à Kintschotio *resp. 65.* & à Paulo Christinæo.

2. Nititur verò isthæc traditio hoc argumento, quòd jure statutum sit ea sola imputari in legitimam liberorum, quæ & ex bonis parentis, & ex judicio ejus ad liberos post mortem illius perveniunt. *L. 8. Cod. de inoffic. testam. Novellâ 18. Cap. 1.* quorum utrumque hic deficere videri potest, cùm proprietas bonorum devolutorum vi consuetudinis subtracta fuerit parenti cùm adhuc viveret, & ad liberos translata sit, uti sonant verba legum municipalium quibus utimur; quæ autem in vivis acquiruntur, non solent in legitimam imputari, *Merlinus de legitima lib. 2. tit. 2. cap. 20.* deinde non ex judicio defuncti, sed ex providentia consuetudinis obtinentur à liberis bona devoluta, atque adeò etiam invitis parentibus eis addicuntur.

Po-

Poteſt & exemplis hæc opinio confirmari, nam 3.
non imputatur in legitimam quod filii capiunt ex beneficio *L. hâc edictali Cod. de ſecund. nupt.* quæ ſtatuit, id quod vitrico vel novercæ plus relinquitur quàm uni liberorum, cedere eorum lucro, quia videlicet non ex judicio parentis, ſed à lege provenit, *Surdus deciſ.* 169. *n.* 7. & 8. *Merlinus de legitima lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 18. *n.* 2. & 3.

Deinde feuda quæ ex pacto & providentia Domi- 4.
ni deſcendunt pro accipiente & liberis, non imputantur in legitimam liberorum, quia non pendent à parentùm liberalitate, nec in alios tranſcribi poſſunt, ſed liberis vivo parente addicta ſunt. *Peregrin. de fideicommiſſis art.* 36. *n.* 108.

Res etiam donatæ à parentibus, cùm donatio jure ſubſiſtit, puta ſi fiat filio emancipato, non imputantur in legitimam, quia non veniunt ex bonis quæ parens relinquit poſt mortem, cùm anteà filio acquiſita ſint. *Peregrin. d. art.* 36. *n.* 125. *Merlin. d. loco.*

Sed hæc omnia argumenta parum ſtringunt, 5.
primò quia ut ſuprà oſtendimus, proprietas bonorum devolutorum non acquiritur liberis in vita parentum; ſed ea penes parentes manet dum vivunt, cum prohibitione alienandi, & obligatione ſervandi liberis, ad quos poſt mortem parentis de-

mum perfectè perveniunt : deindè etsi verum esset acquiri proprietatem liberis in vita parentum, non esset statim consequens bona devoluta ab imputatione legitima excludi, cùm constet dotem & donationem propter nuptias imputari legitimæ, licèt dominium adferant liberis in vita parentum; *L. 29. Cod. de inofficioso testam.* quia nimirum quæ ita dantur ut speciem quamdam habeant anticipatæ successionis, imputari in legitimam tradit Molinæus *consil. 59.* atque id suadet evidens æquitas, & quæ alioquin nasceretur inter liberos inæqualitas, quæ ratio potissimùm effecit ut constitutum sit à Leone Imperatore propter nuptias donata conferri debere & in legitimam imputari.

Quod dictum est ex adverso de acquisitis ex beneficio *l. hâc edictali Cod. de secund. nupt.* non benè ad quæstionem nostram transfertur, quia lucra illa immodica quæ parens superstes confert in secundum conjugem, occupant liberi titulo quodam adventitio, qui nihil habet commune cum successione, cùm Devolutio id agat, & eò pertineat, ut bona Devoluta suo tempore integra ad legitimam successionem perveniant post mortem superstitis parentis, ut proindè meritò locus detur iis omnibus quæ in cæteris successionibus & imputationibus obtinent.

Ni-

Nihil etiam urget quòd res devolutæ non obveniant liberis ex diſpoſitione & judicio parentis, ſed ex beneficio conſuetudinis; cùm manifeſtum ſit in legitimam quoque venire, quæ ipſo jure liberis ſervantur ex ſubſtantia patris. Argumento eſt *quarta* illa quæ vocatur *Divi Pii*, quæ impuberi arrogato competit *non ex judicio arrogantis, ſed ex principali providentia*, inquit *L.* 22. *ff. de adoption.* & tamen filio arrogato in legitimam cedit. *L.* 8. §. 25. *ff. de inoff. teſtam.* quo exemplo ab Auguſto Electore Saxoniæ conſtitutum eſt *Novellâ* 11. *part.* 3. utenſilia filiæ in legitimam computari, etſi de iis proſpectum illi ſit eodem iſto jure Saxonico. Pari ratione quæ bona liberis à conſuetudine ſervantur, ut poſt mortem parentis pleno jure ea obtineant, partem facere debent legitimæ portionis; nam conſuetudo quodammodò prævenit ac ſupplet judicium paternum & affectum, ne fortè novercalibus delinimentis pervertatur & abducatur à recto.

Ad argumentum igitur ſic reſpondetur, non ita deſiderari judicium paternum circa res in legitimam imputandas, ut excludantur illi modi quibus judicium paternum prævenitur & ſuppletur à jure vel à conſuetudine.

De feudis per providentiam quod adductum eſt, aliam omninò rationem habet, quia hæc non à pa-

tre,

tre, nec ab ejus ſubſtantia proficiſcuntur, ſed primo Authori accepto ferenda ſunt. Quo etiam loco ſunt quæ ex fideicommiſſo avi vel patrui, vel alterius extranei, liberi obtinent, cùm nec ex judicio, nec ex ſubſtantia patris procedere intelligantur, *Peregrin. d. art. 36. n.* 107.

Quin imò & iſta de feudis doctrina varias admittit temperationes & diſtinctiones, quas vide apud *d. Peregrin. d. loco.*

Concluſio igitur ſit bona devoluta in legitimam liberis imputari, niſi aliud teſtamento ordinatum ſit, vel aliter de voluntate parentis liqueat.

Ne verò ex hac concluſione aliquis hallucinetur & non putet poſſe ſtare cum eo quod ſupra dictum eſt, de bonis devolutis habendis à liberis ſine onere æris alieni cùm legitimæ etiam debita hæreditaria inſint. *l. cùm quæritur Cod. de inoff. teſtam. l.* 1. §. *Si imbuere ff. de collat.* diſtinguendi ſunt plures caſus.

Vel enim agitur de eo tempore ac ſtatu quo Devolutio facta eſt, & parens cujus bona devoluta ſunt ad-
6. huc ſupereſt, & tunc nihil adhuc de legitima ejuſque imputatione tractari poteſt, quia legitima nulla eſt, niſi ſit hæreditas, cujus portio & quota quædam ipſa eſt ſecundùm veriorem ſententiam. *Bald. in repetitione l. pater filium n.* 6. *verſ. quæro nunc ff. de inoff. teſtam. Covar. ad cap.* 1. *Raynutius* §. *fin. in fine.*

Vaſq.

Vasq. de success. tom. 1. §. 20. *n.* 212. Non eſt verò hæreditas viventis *jur. vulg.* atque durante hoc ſtatu manent bona devoluta apud liberos, ſeu iis affecta ſunt ſine onere æris alieni, atque ſine figura ac qualitate legitimæ, prout etiam manent defuncto deindè parente, ſi liberi alia bona parentis non attigerint, aut ſe hæredes non declaraverint.

Alius denique caſus eſt quo filii non contenti bonis devolutis hæredes fiunt parentis ſui ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, vel per geſtionem pro hærede, vel per voluntatis declarationem, & hac in ſpecie, quæſtio quæ mota eſt, locum habet de imputatione in legitimam, an ſcilicet bona devoluta partem legitimæ faciant, an verò ea præcipua habeant liberi, & ex reliqua maſſa confici debeat legitimæ quantitas: nullo verò modo admitti poteſt ut liberi bona devoluta petant ſuppleri per adjunctionem aliorum bonorum liberorum, & æs alienum omne in reliquam maſſam refundant: debet enim ipſorum etiam portio per æs alienum hæreditarium pro rata diminui, neque enim poteſt ut rectè notat Covar. *dicto loco* pars hæreditatis vel bonorum acceptari, & reliqua quæ in onere conſiſtit repudiari; quod vel ipſa ratio & æquitas per ſe oſtendit. Verba Covarruviæ ſunt, *filium hæredem inſtitutum non poſſe retentâ ſibi portione legitimâ hæreditatem patris*

repudiare, quia legitima tunc defertur filio jure hæreditario; hæreditas verò non poteſt partim adiri, partim repudiari l. 1. & 2. ff. de acq. hæred. quæ ratio non minùs valet in ſucceſſione inteſtati quàm teſtati.

CAPUT XVI.

An valeat parentis ſuperſtitis diſpoſitio de devolutis cum hac oblatione, ut vel eam patiatur filius, vel contentus ſit ſolâ legitimâ?

SUMMARIUM.

1. *An poſſit parens ſuperſtes diſponere de devolutis cum hac conditione, ut eam patiantur liberi, vel contenti ſint ſolà legitimâ?*
2. *An id ſit in fraudem conſuetudinis quæ Devolutionem adfert liberis.*
3. *Pragmatici quid ſentiant de diſpoſitione feudorum in ſimili forma?*
4. *Sed omninò tenendum valere tales diſpoſitiones.*

1. PAter liberos habens ex duobus conjugiis, & bona devoluta ad eos qui nati ſunt ex priore thoro, ita teſtamento ſuo ſtatuit, ut velit omnes æquales eſſe tam in devolutis quàm in aliis bonis, cui voluntati ſi refragentur priores liberi, jubet eos contentos eſſe devolutis, quæ legitimæ ſufficiant,

ciant, & libera bona quæ habet, omnia relinquit liberis posterioris thori, ut hâc ratione provocet eos ad æqualitatem; abnuunt parere liberi prioris thori, primò quia nolunt devoluta recipere in legitimam; sed 2.
hoc jam nihil est, ex his quæ priore capite stabilita sunt, addunt verò talem dispositionem uti factam in fraudem consuetudinis & juris quod per Devolutionem defertur liberis, nullius esse momenti, quæ enim in fraudem fiunt, perindè improbantur ac quæ directò contra leges aut consuetudines fiunt, *L. Seius & Augerius ff. ad L. Falcid.* ubi hæres institutus & jussus contentus esse minore portione quàm sit Falcidia, aut admittere substitutum; simpliciter admittitur ad hæreditatem, ac si ea conditio adjecta non esset, quòd in fraudem L. Falcidiæ ea conditio apposita censeatur. Undè Ruinus respondit *consil.* 149. *lib.* 3. non posse sic condi testamentum, ut filius patiatur gravamen fideicommissi in tota hæreditate, aut alioquin contentus sit legitimâ suâ.

Ex eadem ratione Pragmaticorum natio impro- 3.
bat dispositionem de feudis sine placito seu authoritate Principis, etsi adjecerit testator se velle ut ex cæteris bonis suppleatur quod ex feudis non præstabitur. *Hen. Kintschotius de licentia testandi de feudis cap.* 3. *&* 4.

4. Sed omnino ſtat ſententia validam eſſe eam diſpoſitionem quæ proponitur, cùm nihil delibetur de jure liberorum, niſi ipſis volentibus, & à jure ſuo recedentibus majoris emolumenti causâ, quod ſubjicere eorum arbitrio nihil habet illicitæ fraudis, undè contra Ruinum tenent plerique ſic injici poſſe gravamen legitimæ, ut liberum ſit filio illud repudiare & abdicare ſe reliquâ hæreditate. *Decius conſil.* 687. *Alciat. conſil.* 479. *Merlinus de legitima lib.* 3. *tit.* 2. *quæſt.* 7.

Quod ſi forum noſtrum contra rationem juris aliud circa feuda recepit, ut Kintſchotius cum fluctuatione aliqua ſcribit, id valeat in ſua ſpecie, ſed non producatur ad conſequentias *L. quod contra ff. de legib.*



CAPUT XVII.

An satisfaciat pater viduus officio paterno, dotando filiam ex bonis devolutis.

SUMMARIUM.

1. *Dura est Justiniani constitutio in* l. ult. cod. de dotis prom. *statuens omnem promissionem dotis ex bonis solius patris esse complendam.*
2. *An hoc eò usque extendendum, ut non satisfaciat pater cedens filiæ bona devoluta?*
3. *Quid judicatum de hoc casu in Camera Spirensi.*
4. *Refellitur sententia ejusdem Cameræ.*
5. *Per mores nostros satisfacit pater assignando filiæ suæ dotem ex bonis quæsitis constante matrimonio.*
6. *Lex ultima* Cod. de dotis promis. *plenè non servatur apud nos.*
7. *Quomodo dos constituenda quando nulla promissio præcessit.*
8. *Vacillatio Germanorum circa Jus Devolutionis.*

PLena est rigoris & singularitatis nova consti- 1.
tutio Justiniani in Codicem relata *l. ult. de dotis promissione.* Profecta scilicet ab eo quem frequenter in Libris Juris prodit animo mulieribus, atque in primis uxori Theodoræ gratificandi, quem *Procopius in Arcana Historia* non ita pridem edita à *Nicolao Alemanno*, aliquoties notat, haud perindè temerariè & contra verum quàm alia pleraque quæ contra eumdem Principem effudit. Summa *dictæ le-*

legis eſt, omnem dotis promiſſionem à patre factam pro filia ſic accipiendam eſſe, ut obſtrictus ſit pater de ſuis propriis bonis eam integrè conſtituere, nec aliter poſſit fidem ſuam liberare, etiamſi dixiſſet (uti eſt in Textu) *ſe tam ex filiæ, quàm ex ſuis facultatibus dotem aſſignare, vel tam ex maternis quàm paternis bonis filiam dotare mille aureis:* debet enim ſecundùm Juſtinianum utroque caſu totam ſummam de ſuo præſtare, eò quòd apertè non expreſſerit quantum de ſuo, quantum de alieno promiſerit; quaſi verò non ſatis aliundè expeditum foret, in jure, æqualiter, ac pro dimidio accipi promiſſionem vel à duobus, vel duorum nomine factam, vel è duobus patrimoniis, ſic enim à Juriſconſultis pro regula proditum eſt *L.* 11. §. 1. *ff. de duobus reis.*

2\. Sed tribuatur hoc cum aliis ſingularibus, favori immodico dotis & mulierum, videamus verò nos an hanc benignitatem eò uſque producere oporteat, ut non ſatisfaciat pater officio dotandi, ſi bona devoluta quorum habet uſumfructum, quæque reſpondent juſtæ ac competenti doti, filiæ ſuæ cedat, ut ea habeat pleno jure cum uſu & fructu; an verò obſtrictus ſit ultra bona devoluta ex aliis liberis bonis filiæ integram dotem repræſentare?

Quæ quæſtio cùm in cognitionem Cameræ Imperialis Spirenſis incidiſſet, ita de ea judicatum refert

fert

fert Mynſing. ejuſdem Cameræ Aſſeſſor. *cent. 5. obſerv. 32.* non ſatisfacere patrem promiſſioni certæ dotis, aſſignando filiæ bona devoluta, & cedendo ei uſumfructum eorumdem, idque per *dictam l. ult.*

Sed pace celeberrimi Dicaſterii dictum ſit, evenit 3. iis quod prudentiſſimo cuique poteſt: in indaganda natura Devolutionis, vulgari errore abrepti ſunt à vero doctiſſimi Judices, perſuaſi proprietatem bonorum devolutorum revera eſſe penes liberos, & uſumfructum ſolum reſidere apud patrem, quem popularem errorem nos ſatis ſuperque refutaſſe ſuprà exiſtimamus, rem ipſam ſecuti potiùs interpretatione noſtrâ, quàm verborum corticem.

Quâ interpretatione nixi, contrario modo ratio- 4. cinandum eſſe dicimus quàm Mynſing. faciat: ille enim negat patrem quidquam proprietatis cedere filiæ concedendo ei devoluta bona, nos contra ex his quæ antè deducta ſunt affirmamus, & proprietatem & uſumfructum illi cedi, & ſic ſatisfieri officio dotandi, quod aliud nihil exigit. Non enim ideò ſua non cedit, quia debet proprietas eorum ad filiam (in caſum ſi ſupervivat patri) pervenire, *non ideò aliquid noſtrum non eſt, quia dominium aliquo caſu ſperatur à nobis abiturum, l. Non ideò 66. ff. de rei vindicat.* Igitur cedit res ſuas pater cedendo bona devoluta, atque adeò liberalitatem in vita exercet, prærogando

pro-

proprietatem & fructum omnem, quem alioquin usque ad mortem retinuisset.

D. l. ult. Satis alioquin dura non debet asperiore & plebeiâ interpretatione ad inhumanitatem trahi: quid enim si major pars patrimonii paterni consistat in bonis devolutis, debebitne pater cæteris bonis se exuere ut filiam dotet, & nihil unquam attingere proprietatis devolutorum, ut officio paterno erga liberos satisfaciat? Aut apud nationem Germanicam alia debet esse Devolutionis natura, aut non potest, quam dixi Spirensis Cameræ sententia secundùm regulas justæ interpretationis sustineri, & pro exemplo valere, quod & ita sentit *in Cod. suo Diodorus Tuldenus tit. de dotis promissione.*

Hoc amplius addo, satisfacere patrem officio dotandi, itemque promissioni congruæ dotis, assignando filiæ suæ bona constante matrimonio cum matre puellæ acquisita (si ea ad justam dotem constituendam sufficiant) licèt secundùm mores nostros dimidia pars acquæstuum ad liberos ejusdem thori, & sic etam pro rata ad filiam proprietate tenus pertineat: quia obligatio dotandi filias inest societati conjugali, tamquam onus & debitum, constante matrimonio natum, quod à bonis tunc quæsitis deducendum est, adeò ut non intelligantur bona vel acquæstus, nisi ære isto alieno priùs detracto,

quam

quam rem latiùs persequitur Covar. *lib.* 3. *variar. c.* 19.

Cui consequens est *d. l. ult.* non per omnia apud nos obtinere, cùm promissio patris de dotanda filia adimpleri possit primo loco ex bonis à patre acquisitis constante matrimonio, cujus aliqua pars ad ipsam filiam pertinet soluto matrimonio, quia non aliter acquisita sunt quàm cum onere isto inhærente de dote indè prestanda. 6.

Illud etiam considerandum, cùm agitur de dote ex officio à patre constituenda citra præviam promissionem, non teneri eum dotare filiam divitem quæ se exhibere decorè potest, cùm nec alere talem obligetur. *L.* 5. 8. 7. *ff. de agnos. & alend. lib. l.* 19. *ff. de ritu nupt.* ad quem vide *P. Busium.* Quare si bona devoluta accedente usufructu hæreditario quem pater cedit, sufficiant filiæ ad sustinenda onera conjugii, nihil est quod ab ea ulterius desiderari possit. 7.

Atque hâc jurisprudentiâ velut domesticâ contenti simus, non magnoperè solliciti quid agatur in superiore Germania, & quomodo ibidem consuetudines nostris similes, interpretationem accipiant; hoc quippè argumentum non videtur ab iisdem satis accuratè tractatum, cùm omnino non constent quæ ab Authoribus illius Nationis de Devolutione referuntur; nam *Mynsing. d. observ.* 32. consuetudinem Germa-

niæ ita explicat quaſi locum tantùm habeat mortuâ matre, & ſuperſtite patre, atque hic habeat uſumfructum dumtaxat, ſcilicet ſimplicem ſeu formalem, atque immobilia fiant propria liberorum, quod diſſentaneum eſt à noſtra conſuetudine, ſecundùm verum ejus intellectum.

8. Alia refertur & ſupponitur conſuetudo *in cap. mulier ſi de feud. defunct. &c.* Quæ hoc ſolùm contineat, ut ſi mulier ex duobus conjugiis liberos habeat, illi qui ex primo ſunt, excludant natos ex ſecundis nuptiis. De patre viduo aut de interdicta alienatione, vel de ejuſdem uſufructu nulla mentio. Propius ad conſuetudinem noſtram accedit conſuetudo Juliacenſis, & Montenſis, quam refert *Roſenthal de feud. c. 7. concl.* 38. his verbis, *Liberi primi matrimonii, ſive de ſucceſſione matris, ſive patris agatur, omnia immobilia in iſto matrimonio acquiſita, vel etiam quæ ex linea aſcendentium ſint jam devoluta, vel poſteà devolvenda, ſive feuda fuerint, ſive allodialia, conſequuntur, excluſis liberis ſecundi vel ulterioris matrimonii, ord. Juliac. p.* 1. *cap.* 74. ſed aliena curioſiùs perſequi ſupervacuum eſt, potiùs in excolendis noſtris operam impendamus.

C A-

CAPUT XVIII.

Filia minorennis primi thori, an in gratiam masculorum secundi thori renunciare possit in tabulis nuptialibus Juri Devolutionis quod habet in bonis paternis?

SUMMARIUM.

1. *Filia primi thori secundùm leges Devolutionis excludit masculum secundi thori.*
2. *Remedium inventum ad conservationem familiarum ut renuncient filiæ nubentes Juri Devolutionis & Successionis paternæ.*
3. *Argumenta ex Jure Romano petita quibus improbantur pacta renunciatoria successionum.*
4. *Jus Romanum hac in parte abrogatum contrario usu.*
5. *Jurisconsulti Galli testantur de contraria consuetudine, & renunciationes ejusmodi admittunt ut validas.*
6. *In Hispania idem obtinet atque etiam in Brabantia ac Germania.*
7. *Initium contrarii usus à constitutione Bonifacii VIII. in* cap. quamvis pactum de pactis in sexto.
8. *Minor ætas renunciantis non impedit renunciationem, uti nec sexûs fragilitas, nec reverentia patris.*
9. *Valent tantùm illæ renunciationes quæ fiunt de incerta successione, non verò illæ quibus abdicatur successio acquisita.*
10. *Si Devolutio esset species successionis, non posset ei renunciari per filiam minorennem.*
11. *Distinctio variorum casuum in quibus fit renunciatio Devolutionis & Successionis.*

JUs Devolutionis quod viget inter privatos, adeò 1.
benignum est liberis primi thori, & tam alienum

à liberis ſecundi thori, ut ſi contingat unicam ſupereſſe filiam ex primo, & maſculum ex ſecundo, filia maſculum omnino excludat à bonis devolutis, & cùm ita contingat per nuptias filiæ in aliud ſtemma
2. vetuſtas familias collabi, & novas exurgere, inventa ratio eſt quâ huic incommodo occurreretur, admiſſis pactionibus, quibus filiæ dote ſuâ contentæ renunciarent Juri Devolutionis & ſucceſſionis ſibi competenti, quas in maxima parte orbis frequentari videmus.

Non defuerunt olim qui ejuſmodi pactiones & renunciationes ſucceſſionum in totum improbarent, argumentis petitis è Jure Romano tam ſolidis, ut perſuadeant, quorum hæc præcipua ſunt.

3. Adverſantur inprimis hæ renunciationes legibus publicæ ſucceſſionis quibus per pacta privatorum derogari non poteſt. *L. fin. ff. de ſuis & legitimæ.* Ubi, *pater inſtrumento dotali comprehendit filiam ità dotem accepiſſe, aut quid aliud ex hæreditate patris ſperare. Eam ſcripturam jus ſucceſſionis non mutaſſe conſtitit: privatorum enim cautionem legum authoritate non cenſeri.*

Deinde conſtitutum eſt, filiam quæ inſtrumento dotali renunciavit hæreditati paternæ, non propterea prohiberi inteſtato patri ſuccedere. *L. 3. Cod. de collat.* his verbis: *Pactum dotali inſtrumento comprehenſum,*

ſum, ut filia contenta dote quæ in matrimonio collocabatur; nullum ad bona paterna regreſſum haberet, juris authoritate improbatur, nec inteſtato patri ſuccedere filia ea ratione prohibetur.

Tertiò, ſi filius pactus fuerit patri, ſe querelam inofficioſi teſtamenti non moturum, eo tamen mortuo id facere poterit, *l. ſi quando* 35. ubi, *Si quis à patre certas res vel pecunias accepit, & pactus fuit quatenus de inofficioſo querela adverſus teſtamentum paternum minimè ab eo moveretur, vetere jurgio exploſo, ejuſmodi pacto filium minimè gravari ſancitum eſt, ſecundùm Papiniani reſponſum, in quo definivit, meritis magis filios ad obſequia paterna provocandos, quàm pactionibus adſtringendos.*

Quartò, tale pactum quo filia modico accepto, optimæ hæreditati renunciat, non poteſt exiſtimari eſſe ſpontaneum, ſed potiùs præſumitur paternâ reverentiâ expreſſum, quia *velle non creditur qui obſequitur imperio patris vel Domini*, *l.* 4. *ff. de regulis juris.*

Quintò, cùm plerumque gravis læſio conjuncta ſit ejuſmodi pactis & renunciationibus, quæ læſio *dolum* in ſe continet, etiam ex hoc capite laborant renunciatoriæ liberorum pactiones. Quibus rationibus & juris authoritatibus, cùm reſpectu filiæ minorennis concurrat infirmæ ætatis imbecillitas, & ſexûs fragilitas, tantò proniùs de ea idem dicendum eſt.

Hunc Juris Romani rigorem ſecuta eſt veterum Interpretum ingens turba, quorum magnum manipulum recenſet *Brodeau in notis ad Arreſta. Louët lit. R. n.* 17.

4. Sed hodie poſtquam invaluit major libertas temperandi atque inflectendi Jus Romanum ſecundùm novas rationes temporum & utilitates Reipublicæ, & Familiarum illuſtrium, itum eſt ab omnibus Jurisconſultis in contrariam ſententiam, quæ moribus populi recepta, & rerum judicatarum conſtante authoritate firmata eſt. Cujus rei aſſiduus teſtis eſt *Annæus*
5. *Robertus rerum judic. l.* 2. *c.* 4. in hunc modum. *Conſtat apud nos filiarum renunciationes ſemper & uſu noſtro admiſſas, & pleriſque Senatûs præjudiciis comprobatas fuiſſe.* Et paulò poſt: *Renunciationes iſtæ communi omnium juris noſtri Doctorum ſententiâ, validæ ac legitimæ afferuntur. Guido Pape qu.* 109. *Aufrerius qu.* 452. *Boërius deciſ.* 204. Quibus accedat *d. Brodeau* qui in loco memorato ita pronunciat.

C'eſt choſe certaine & reglée par les arreſts, que telles renonciations aux ſucceſſions futures, directes & collaterales faites par un Contract de Mariage, le plus ſaint qui eſt le plus ſolennel, & le plus authentique de tous ceux qui ſe paſſent entre les hommes, duquel les clauſes contenant les renonciations ſont acceſſoires, & par coherence prennent la meſme nature, force, ſubſiſtan-

ſtance & authorité du Contract de Mariage, valent, ſoit entre les nobles ou roturiers, tant en pays couſtumier, que de droit eſcrit; & que les filles n'en peuvent eſtre relevées pour quelque cauſe & pretexte que ce ſoit, de minorité, crainte, ou leſion enorme; habilis enim ad nuptias, eſt habilis ad omnia pacta & congrua & ſolita. *Du Moulin* ſur la couſtume de Blois Art. 161. v. ſup. M. n. 9. *Ce qui eſt fondé, non ſeulement ſur la raiſon de l'incertitude du douteux evenement de la bonne ou mauvaiſe fortune des Peres & Meres, au jour de leur decés, mais auſsi ſur une raiſon politique de l'intereſt que le public & l'Eſtat ont dans la conſervation des familles, les biens deſquelles doivent pluſtoſt eſtre conſervez & diſtribuez aux maſles, qui ſouſtiennent la ſplendeur & la dignité de la maiſon, dont ils portent le nom & les armes, que aux filles, qui feroient paſſer les biens en une main & famille eſtrangere, & le Pere ayant doté ſa fille, il a ſatisfait à tout ce qui eſt du devoir de pieté, de la charité du ſang & de la nature, & de l'affection paternelle: juſques là meſme que les filles qui ont renoncé ne peuvent pas demander le ſupplement de leur legitime*, quia dos eſt loco legitimæ; *& bien que Chaſan.* ad conſuet. Burgund. *Baldus* ad l. ult. Cod. de dotis promiſ. *Salicet. Alciat.* ad l. 1. §. Si quis ita n. 48. de verb. obligat. &c. *& communement tous les Docteurs anciens ayant eſté d'avis contraire, l'opinion deſquels eſt reprou-*

vée

vée par du Moulin sur l'Art. 26. de la Coustume de Maine, & autres Jurisconsultes de ce temps en grand nombre rapportez par Brodeau d. l.

6. His testimoniis contenti esse possumus pro Regno Galliæ, de Hispania autem videri potest *Covar. ad Cap. quamvis parte 3. & Gutieres ad idem Cap. Fontanella de pactis nuptial. claus. 9. gloss. unica parte 2.* & quid in Brabantiæ obtineant intelligi potest *ex consilio Præsidis Everardi 96.* ubi renunciationem in Brabantia à filia factam patri, validis rationibus defendit, eamque sententiâ Concilii Brabantiæ confirmatam fuisse testatur. Quibus addi potest *Groenweg. de l. abrog. ad d. l. 3. Cod de collat.* ubi ait *eandem moribus nostris exolevisse* De Germania testantur *Zasius ad l. stipulatio hoc modo ff. de verb. obligat. n. 28. Wames. cent. 6. civili consil. 99.*

7. Hâc exceptione *non recepti juris* & *abrogatarum legum* sponte suâ ruit quidquid ad eorumdem pactorum enervationem suprà allatum est. Cui non receptioni Juris Romani initium videtur dedisse constitutio Bonifacii VIII. Pont. *in cap. quamvis pactum, de pactis in sexto.* Ubi statuit quòd *quamvis ejusmodi pacta reprobentur à Jure Civili, si tamen juramento firmata fuerint omnino servari debeant,* ex qua constitutione verisimiliter profluxit quod apud plerasque nationes invaluit renunciationibus hujusmodi juramen-

mentum adjici, ejuſque virtute haberi pro majorenni, qui alioquin reipſa minorennis eſt. *Covar. ad d. c. quamvis, parte* 3. §. 1. *n.* 3. quamquam neceſſe non eſt eò decurrere, cùm ratio ipſa dictet, ætatem quæ ſufficit contrahendis nuptiis, ſufficere quoque debere ineundis pactionibus decoris & ſolitis, ſine quibus nuptiæ ferè non contrahuntur.

Quod attinet ad fragilitatem ſexûs & reverentiam paternam poteſt reſponderi verbis Præſidis Everardi ad objectionem ſimilem, *quòd ſola minorennitas vel ſexûs fragilitas non ſufficiat ad reſtitutionem in integrum, niſi concurrat & probetur læſio, & quidem enormis l. ſcio ff. de in integrum reſtit. & ultra hoc requiritur quòd talis læſio accidat facilitate renunciantis, vel dolo adverſarii: ſi enim fortuito caſu accidat, non eſt danda in integrum reſtitutio l. verum § ſciendum & ibi Bart. ff. de minor. unde ſi aliquid ſe habet ad lucrum & damnum, licèt caſualiter contingat damnum, non tamen propter hoc dicitur quis lædi, & ſi ſit minor non propter hoc tanquam læſus reſtitui debet, l. ſi fideicom. & ibi DD. Cod. de tranſac.*

Manet proinde firmum valere renunciationes quibus filii familias incertæ ſucceſſioni renunciant, uti latiùs videre eſt apud *Covar. ad Cap. quamvis parte* 3. *Gutieres ad idem Cap. Fontanel. de pactis nuptialibus clauſ.* 9. *Gloſſa unicâ parte* 2.

Loüet ad Brodeau d. l. & alios ab eo relatos.

9. Sed necesse est quæ dicta sunt intelligere de renunciationibus quæ fiunt incertæ & futuræ successionis, non ejus quæ jam renuncianti acquisita est, quam abdicari à minore viginti quinque annis Juris authoritas non magis patitur, quàm cæteras res immobiles sine decreto Prætoris alienari, quod latiùs deducit *Brodeau d. l. lit. E.*

10. Secundùm eadem principia procedendum est circa Devolutionem, & dissolvenda quæstio, an valeat renunciatio quâ filia-familias se abdicat masculorum causâ Jure Devolutionis sibi competente.

Si Devolutio foret species successionis, atque intelligi posset bona patris vidui adhuc viventis, pervenisse ad filiam, non posset pro valida sustineri ejusmodi renunciatio, cùm *quod acquisitum est renunciari non possit. l.* 1. §. *decretalis ff. de successorio edicto*, sed cùm anteà probatum sit, Devolutionem quæ fit vivo patre, haberi non posse pro successione, neque proprietatem bonorum devolutorum in vita patris acquisitam esse liberis, sequitur eadem dicenda esse de renunciatione Devolutionis, quæ dicta sunt de repudiatione successionis, cùm æquè incertæ rei utroque casu renuncietur, nam jus quod ex Devolutione filia renuncians habet, vel post mortem unius parentis acquirere poterit, nihil firmi continet, quod pau-

paulò enucleatiùs per diſtinctiones temporum & caſuum explicandum eſt.

Primus caſus eſt, quo utroque parente vivo filia nubit & renunciat generatim utriuſque ſucceſſioni, 11.
in quibus terminis non tantùm excluſa eſt à priùs morituri hæreditate, ſed neque bonorum ſuperſtitis devolutaria fit, quia abſciſsâ ſucceſſione etiam ſublata cenſetur Devolutio, cujus vis & effectus non alius eſt quàm præparatoriè conſervare bona in eventum deferendæ hæreditatis, quod hic fruſtrà exſpectatur propter factam renunciationem.

Secundus caſus eſt, ſi filia nubat poſt mortem unius è conjugibus, & bona ſuperſtitis implicata ſint vinculo Devolutionis, eique nati liberi ex ſecundo conjugio. In hoc ſtatu ſi filia generali renunciatione ſe abdicet ſucceſſione parentum, nihil agit reſpectu hæreditatis prædefuncti parentis, quia per mortem ejus acquiſitum eſt illi plenum jus; quod ab ea adhuc minore viginti quinque annis alienari nequit: reſpectu verò ſuperſtitis cùm per renunciationem abſciſſum ſit jus ſucceſſionis, etiam Devolutio concidere debet, non abſolutè, ſed quoad renunciantem, atque ita ut transferatur ad illum, cujus contemplatione pactum renunciatorium factum eſt. Neque enim parens ſuperſtes per hujuſmodi pactiones quæ in utilitatem ejus non diriguntur, ſed liberos inter ſe ſolùm

lùm reſpiciunt, liberatur à vinculo Devolutionis, ut poſſit pro libitu alienare quod aliàs non poſſet. Magis verò in hunc caſum quadrat ſi filia ſimpliciter Devolutioni renunciet, nominatis illis in quorum rem ſe eo jure abdicat, ne alioquin per conjecturas procedendum ſit.

Tertia renunciationis ſpecies poni poteſt, ſi unus parentum qui ſupereſt, bona ſua habeat Devolutionis vinculo ligata, & filia nubens ſimpliciter renunciet Juri Devolutionis ſibi quæſito: in quibus circumſtantiis non eſt ambiguum valere renunciationem, quia abdicatur jus incertum, imò potiùs ſpes quàm jus, cùm moriente filiâ ante patrem, id omne deficiat & corruat, ac eo loco habeatur, tamquam ſi nulla unquam Devolutio fuiſſet.

Si quis moveat, filiam renunciantem Devolutioni abdicare jus purum & præſens, quod tempore renunciationis jam exiſtit, conſequenter non poſſe à filia minorenni repudiari? Reſpondetur Devolutionis duas eſſe veluti partes, quarum prima præparatoria eſt, atque conſiſtit in nexu reali, & prohibitione alienandi res devolutas. Altera quæ finis & ſcopus eſt prioris, continet ipſam obventionem ſucceſſionis acquirendæ ad normam Devolutionis. Et prior quidem pars pura & præſens eſt, cùm revera vinculum & prohibitio in præſenti ſubſint, altera autem quæ

potiſſima pars eſt nondum exiſtit, imò incertum eſt an unquam naſcetur, cùm poſſit filia defungi ante patrem, quâ proindè contemplatione valere renunciationem, extra dubium eſt.

Præter memoratos caſus, incidit quoque varietas renunciationum ex capite perſonarum, in quarum gratiam renunciatur Juri Devolutionis: poteſt enim renunciari generatim in favorem aliorum liberorum, vel in gratiam unius ex ipſis, vel etiam in gratiam parentis, ut ille de Devolutione ceſſa, pro arbitrio ſuo ſtatuat, de quibus omnibus ſpeciebus ſingularis inſtitui poſſet tractatio, verùm quia admodum affines ſunt renunciationes fideicommiſſorum cum eis quas tractamus, adiri poterunt Authores, qui de iſto argumento ſcripſerunt, nominatim *Peregrin. de fideicom. Art.* 52. *n.* 25. *& ſeqq. Fuſar. de fideicomm. qu.* 593. *n.* 164.



CAPUT XIX.

An Renunciatio filiæ irrita fiat, si intra constitutum tempus pecunia dotalis quam pater promiserat non sit numerata?

SUMMARIUM.

1. *Nuda renunciatio Devolutionis vel Successionis sine aliquo vicissim dato vel promisso, nullius momenti est, & ab ea resiliri potest etiamsi juramentum adjectum fuerit.*
2. *Non est necesse ad validitatem renunciationis ut pecunia præsens numeretur, sed sufficit promissio.*
3. *Filia dicitur dotata per solam promissionem dotis.*
4. *Ratio ex qua sequi videtur quod deficiente solutione dotis, etiam corruat ipsa renunciatio.*
5. *Altera ad eundem finem ratio.*
6. *Argumentum in contrariam partem, quod promissor quidem sit in mora, sed ea purgari possit.*
7. *Si non purgetur mora à debitore, non propterea deficit aut rescinditur contractus.*
8. *Potest tantùm contra morosum debitorem agi remediis ordinariis & civilibus, non occupari aut invadi ipsa successio.*
9. *Uti venditor non potest resilire à venditione ob non solutum pretium, ita non potest recedi à renunciatione ob non solutam dotem.*
10. *Objectio, quòd hac in parte distinguendum sit inter contractus nominatos & innominatos.*
11. *Responsio, quòd distinctio ista evanuerit pridem in foro, & omnes contractus hodiè in eo conveniant, quod contra non satisfacientem agendum sit ut impleat.*
12. *Solutio argumenti propositi numero 5.*

13. Galli

13. *Galli Jurisconsulti quoque sentiunt non corruere renunciationem ob non solutam dotem quæ promissa fuerat.*
14. *Non potest recedi a jure prætextu imaginariæ æquitatis quam Belgæ non admittunt contra jus commune.*

UT eò faciliùs provocetur filia nubens ad renunciandum sive successioni sive devolutioni, solet communiter ei in tabulis nuptialibus à patre constitui dos, vel pecunia dotalis; imò hoc adeò necessarium est, ut si sine dotis aut pecuniæ mentione renunciatio facta sit, jure subsistere non existimetur, uti plures Interpretes censent. Quia cùm ex parte filiæ renunciantis, nulla causa hujusmodi pacto subsit, negari non potest, quin adversus agentem ex eodem, competat exceptio doli, quæ generatim datur quoties agitur ex tali stipulatione, vel conventione cui causa nulla subest. *L.* 3. §. *circa ff. de doli mali acceptione*, *quoniam* ut ibi dicitur, *nunc facit dolo qui ex ea stipulatione agit*, *licèt ab initio nihil dolo fecerit.* Ant. Fab. *de erroribus Pragmat. decad.* 13. *errore* 7. Neque opus est absolutione à juramento, ut filia ab hujusmodi renunciatione recedat, sed eam per se deficere, & viribus cassam esse contrà *Covar.* aliosque ab eo adductos Authores firmis rationibus convincit idem *Faber d. l.* 1.

Non est tamen necesse ad validitatem hujusmodi pactionis abdicatoriæ, ut quod filiæ nubenti vice renun- 2.

nunciationis addicitur statim atque in præsens repræsentetur; sed sufficit sola promissio patris de dote præstanda, ut renunciatio subsistat, quæ etiam interpretatio admittitur circa consuetudines quæ per Italiam, & Galliam & alibi vigent, dictantque filiam
3. dotatam excludi à successione parentum: ut enim dotata dicatur filia non exigitur ut dos reipsa illi numerata sit, sed sufficit sola dotis constitutio, uti post *Baldum in L. non sine n. 2. cod. de bonis quæ liberis tradit. Guilielmus Benedictus in Cap. Raynutius, Verbo duas habens filias. n. 155.*

Ulteriùs quærendum quid juris sit, si pecunia do-
4. talis quæ promissa erat, ad designatum diem numerata non sit, poteritne filia quasi deficiente renunciatione & deductâ ad non causam, successionem paternam sibi vendicare? Id primore fronte ita videri potest, eò quòd renunciatio ob causam facta sit, nimirum ob dotationem filiæ, quæ dotatio si effectum non habeat, incidit res in datum vel promissum *ob causam causâ non secutâ*, quo casu revocatur id quod actum, promissum vel datum fuerit. *toto tit. ff. & cod. de condictione causa data causâ non secutâ.* Quod confirmari potest exemplo satis affini. Maritus obstringitur uxorem suam alere intuitu ac contemplatione dotis quæ ei addicta & assignata est, quæ dos si
5. deinde reipsa non præstetur, poterit idem maritus ali-

alimenta negare, uti innumeris Authoribus adductis ſcribit *Surdus de alimentis tit. 7. qu. 17. per totum.*

Sed in contrariam partem facit, quòd illa quidem non impletio promiſſionis ad conſtitutum terminum 6.
conſtituat promiſſorem in mora, verùm non eſt hic moræ effectus ut contractum abrumpat, & facultatem det alteri parti ab eodem reſiliendi, nam alia remedia benigniora adverſus moroſos debitores jure communi comparata ſunt; atque in primis moræ purgatio admittitur ex æquitate, ſi prompta ſatisfactio re adhuc integrâ offeratur. *Debitor*, inquit *lex 73. ff. de verb. obligat. poſt moram offerendo, purgat moram*: Si verò negligat moram emendare atque diluere debitor, ſed differat, & protelare pergat ſolutionem, non eſt ſtatim conſequens in irritum deduci 7.
renunciatorium pactum: multò minùs occupari poſſe propriâ authoritate à filia vel marito ejus, paternæ ſucceſſionis portionem quæ eam ab inteſtato concernit, ſed perſequi tantùm poterit civilibus & ordinariis remediis quod promiſſum eſt, v. g. actione ex ſtipulatu de dote maritus petere poterit, non tantùm ipſam rem quæ dotis titulo promiſſa eſt, ſed etiam 8.
quod ob dilationem ſua intererit. §. *fuerat inſtit. de actionibus l. ult. §. prætereà Cod. de jure dot.*

Non magis poteſt filia quæ intuitu promiſſæ dotis

9. renunciavit ſucceſſioni paternæ, reſcindere pactionem ſuam ob non præſtitam dotem, quam venditor reſilire à contractu emptionis venditionis propter non ſolutum ſuâ die pretium. *Venditor*, inquit, *lex* 14. *Cod. de reſcin. vendit. quanti intereſt experiri poteſt: non verò ex eo quòd emptor non ſatis conventioni fecit, contractus irritus conſtituitur*, quod conſimiliter in ſpecie noſtra dicendum eſt, ſcilicet renunciationem non fieri irritam ob non ſolutam dotem, ſed agendum eſſe ad implementum promiſſionis dotalis.

Si quis contendat hanc doctrinam de non infringendo contractu ob non implementum unius partis, locum tantùm habere in contractibus nominatis qua-
10. lis eſt emptio venditio, non etiam in contractibus innominatis (ad quam claſſem pertinet pactio quam tractamus) reponimus hanc diſtinctionem inter con-
11. tractus nominatos & innominatos pridem è foro evanuiſſe, atque omnes contractus hodie in eo convenire, quòd contra non ſatisfacientem, non alia actio quàm ad implementum competat *Ant. Gomez tom. 2. reſolut. cap.* 8. *circa finem.* Et alii quos refert *Groenweg. ad tit. ff. & Cod. de condict. cauſa data*, &c. qui omnes negant hodie locum dari repetitioni ob cauſam non ſecutam ſi ab una parte aliquid datum fuerit.

Primum argumentum ex adverſo prolatum, quia ex

ex hoc jure antiquato deſumptum , nullius momen- 12.
ti eſt.

Alterum deductum ab alimentis uxori denegandis à marito, propter non ſolutam dotem, ſpeciali ratione nititur, quod ſcilicet jure civili mulier primo loco ex proventibus dotis alenda ſit, quæ dos ſi ab ipſa non præſtetur cùm poſſit, ſibi ipſamet alimenta præſcindere videtur, quæ res nihil cum materia noſtra commune habet.

Manet igitur firmum, renunciationes de quibus agimus non fieri caducas ob defectum ſolutionis pecuniæ dotalis, præſertim re non amplius integrâ, hoc eſt matrimonio jam conſummato. In quam ſententiam diſcedunt præcipui Galliæ Juriſconſulti, nomi- 13.
natim *Molinæus* qui propoſitâ hâc ipsâ quæſtione *ad art. 37. conſuetudinum Auvergne. tit. 12. de ſucceſſionibus*, reſpondet *quòd ſemel filia excluſa per renunciationem certâ dote promiſsâ, non poſſit amplius reverti*, additâ ratione, *quòd non per dotis numerationem, ſed conventionem filia excludatur ex Alixandri conſil. 13. n. 10. lib. 3. Decius idem ſentit conſil. 105. & 261. Molinæum* ſequitur *Louët in arreſtis ad lit. R. n. 18.* & hunc *Brodeau in notis ad eundem*, qui addit, *promiſſionem dotis ſufficere ſine numeratione, licèt conſuetudo requirat aliquid debere datum eſſe à patre; nam verum eſt*, inquit, *aliquid eſſe datum licèt ſimpliciter*

promissum sit, si fides habita sit de pretio: cùm pro æquipolentibus habeantur in jure, pecuniam esse numeratam, & fidem de ea habitam, §. *venditæ instit. de acquirendo rerum dominio.*

Concludit denique *Brodeau* ratiocinationem suam his verbis: *Il ne serviroit rien à la fille de dire que son pere ne luy a point baillé ce qu'il luy avoit promis, car c'estoit à elle à en poursuivre le payement, comme il est singulierement decidé par Balde in l. cum Artemidoram n. 12. Cod. ut in poss. legat. où il conclud, quòd fuit stulta quæ sic contraxit, unde sibi imputare debet.*

Hæc quia consentanea rationi juris communis,
14. amplectenda sunt, non etiam illa quæ Gallica jurisprudentia contra tenorem ejusdem juris licentiùs inter judicandum invehit, quod imitari nobis Belgis religio est, qui Themidem colimus severiorem, & ubi deficiunt leges & consuetudines patriæ, Romano Juri adstricti vivimus, non ex authoritate ipsa illius juris, sed quia Principes nostri id ita sæpiùs declararunt, atque ita haud probi commatis est, nec à nobis recipiendum, quod ad extremum d. l. adducit *Brodeau* in hanc sententiam. *J'ay appris qu'il a esté jugé par plusieurs arrests, que quand une fille (moyennant certaine somme de deniers à elle promis par son Contract de Mariage) à renoncé aux successions des Pere & Mere, si cette somme ne luy est payée dans le*

temps

temps porté par le Contract, elle est bien recevable de demander à rentrer és droits ausquels elle a renoncé, ce que la Court ne fait point de difficulté d'ordonner, aprés avoir donné quelque délay aux heritiers du Pere. On allegue à ce propos un arrest donné à Tours, le Parlement y seant le 22. de Fevrier 1591.

Agnoscit Author jus commune filiæ renunciatrici obsistere, eique reditum ad successionem paternam præcludere & nihilò seciùs eandem ex æquitate quadam imaginaria, ad successionem admittit, idque ex authoritate rerum aliquando judicatarum à Senatu Parisiensi. Quid hoc aliud est quàm ut fertur proverbio, *ædilitatem sine suffragio populi occupare*, hoc est potestatem quandam legislativam Tribunalibus Gallicis arrogare, quibus tantùm decisiva rerum controversarum competit, si credimus ipsis ejusdem Regni Authoribus. Quantò rectius facerent locum dando normæ præscriptæ *l. 1. Cod. de legib.* ubi Imperatores sic definiunt, *inter æquitatem jusque interpositam interpretationem, nobis solis licet & oportet inspicere.* Nullis igitur Judicibus aut Jurisconsultis, nulli Tribunali, nulli Senatui, etiam qui vice sacrâ judicat, authoritas est interponendi interpretationem suam inter jus & æquitatem, id est, arripiendi istud genus interpretationis, quâ velut in trutina æquitas

legis contra ipſam legem ejuſque rationem expendatur, ac tandem præponatur.

Prorſus de Jure Romano idem ſtatuendum eſt, quod Romani de lege Rodia circa controverſias nauticas & maritimas ſtatuebant, ut ſcilicet hujuſmodi controverſiæ *ex lege Rodia judicarentur quatenus nulla Romanarum legum adverſaretur* : ita enim Principibus noſtris pridem placuit, ut judicemur Jure Romano, quatenus conſtitutiones eorum, aut mores noſtri non refragantur, quam comparationem etiam apud Gallos habere locum ſcribit *Cuiacius ad proëmium librorum de feudis*, & *Chopinus de domanio Gallico lib.* 2. *tit.* 15.

Ex quibus luculenter convincitur non poſſe filiæ reditum concedi ad ſucceſſionem paternam cui renunciavit, ſub prætextu cerebrinæ cujuſdam ut loquuntur, æquitatis, quæ contra jus commune valere non poteſt.

Moram cuique ſuam nocere debere verum eſt, & inter regulas Juris relatum,

—— Sed adſit
Regula Peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Quænam obſecro æquitas eſt ſplendida atque adeo etiam regali ſucceſſione excidere ob tardius aliquanto allatos nummos? ad fœneratores, & menſularios per-

pertinuerit tam crudelis de apicibus temporum observatio quæ procul abesse debet ab Augustis Pectoribus, quæ omnia honore metiuntur, adeoque rectè censent qui negat inter viros Principes hanc incivilitatem usu observari.

CAPUT XX.

De Renuntiationum quibusdam Speciebus: An caducæ fiant ob non solutam dotem, vel aliud non implementum.

SUMMARIUM.

1. *Potest renunciatio sic expressè fieri ut non solutâ dote tempore constituto, ipsa irrita sit.*
2. *Idq; vel sub conditione suspensiva vel sub resolutiva.*
3. *Etiam sub modo concipi potest Renunciatio, v. g. ut is in cujus gratiam fit, gestet insignia Familiæ illustris.*
4. *Quoad Devolutionis renunciationem nihil interest inter conditionem & modum, & semper attenditur causa finalis.*
5. *Potest Renunciatio fieri duabus ex causis, ubi prævalet semper causa primaria seu finalis.*
6. *Si concurrat dotis constitutio cum conservatione Familiæ, hæc postrema primaria causa est, non prior.*
7. *Causa renunciandi quæ pro scopo habet Reipublicæ salutem vel utilitatem, semper primaria est.*
8. *Quid de Regiis connubiis & pactis renunciatoriis iisdem adjectis, quorum duo exempla proponuntur, & in iis quædam observatu digna, de quibus resolutio in medio relinquitur.*
9. *In dotationibus Regiarum filiarum quid fuit aliquando observatum, si dotalis pecunia non numeraretur.*
10. *Recapitulatio præcipuarum rationum pro & contra renunciationes publicarum successionum.*

Po-

1. POtest sine dubio sic concipi disertis verbis Renuntiatio filiæ abdicantis successionem paternam, ut si constitutâ die non numeretur pecunia dotalis promissa, ipsa caduca fiat, & in irritum cadat: quo casu nihil ambiguitatis erit omnia mansura in eo statu, quo absque renunciatione forent; po-
2. test etiam renunciatio concipi sub conditione suspensiva actûs, verbi causâ, renuncio successioni paternæ si intra talem diem summa quæ dotis nomine mihi promissa est, reipsa seu effectivè numeretur. Quâ conditione non eveniente, caducam fieri renunciationem nemo dubitat. Atque idem statuendum de conditione quam vocant *resolutivam actûs*, quæ eundem non suspendit, sed purum esse sinit, & si id quod promissum est non præstetur, eundem ad nihilum redigit, atque hæc non tam conditio est quàm conventio, ut dicitur in *L.* 2. *&* *L. actionum ff. de oblig. & actionibus*. Quæ verò de conditionibus dicimus, pertinent ad omnes verborum formulas, quibus conditio tacitè inest, quas videre licet apud *Brusselium in tract. de conditionibus lib.* 1. *tit.* 3.

3. Renunciatio etiam in pactum deduci potest sub modo, v. g. renunciari potest successioni paternæ sub hac lege seu pacto, ut is in cujus gratiam renun-

ciatur, geſtet arma gentilitia & nomen Familiæ illuſtris. Licèt verò inter modum & conditionem hæc differentia intercedat, quòd conditio ſuſpendat actum dum ipſa in pendenti eſt, non item modus, ſi tamen modus, contineat *cauſam finalem* ſeu primariam actûs, par eſt utriuſque poteſtas quoad reſolutionem ejuſdem, uti multis Authoribus relatis tradit *Ant. Faber in Cod. tit. de donat. quæ ſub modo def.* 3. Atque ita quoad caducitatem actûs & effectum reſolutivum nihil intereſt, utrùm ſub conditione an ſub modo renunciatio facta ſit, dummodò quod poſtulatur & fieri paciſcimur ſit cauſa ſeu intentio primaria ipſius diſpoſitionis. 5.

Poſſunt etiam duo modi ſeu duæ cauſæ influere in eandem renunciationem; quo caſu dubitari poteſt, ſi una earum deficiat & altera perduret atque effectum ſortiatur, quid juris ſit circa caducitatem actûs, eaque occaſione quæri poteſt in ſpecie de renunciatione quâ filia dotis aſſignatione contenta cedit ſucceſſioni parentum in gratiam fratrum aut aliorum maſculorum, an dotis conſtitutio, an verò conſervatio familiæ habenda ſit pro cauſa primaria ſeu fi- 6.
nali actûs, quod monet *Covar. ad cap. Quamvis p.* 3. §. 3. *n.* 7. ex circumſtantiis rei & qualitate perſonarum ſagaciter dijudicandum eſſe, atque ſi appareat collineatum principaliter eſſe, uti plerumque

ſolet, in conſervationem familiæ, inde pendere debet, ut ceſſet vel non ceſſet effectus diſpoſitionis, ac licèt dos deficiat, ſuſtinebitur adhuc renunciatio virtute cauſæ finalis, quæ conſiſtit in familiæ propagatione: licèt enim regulariter, unâ ex pluribus cauſis ad actum concurrentibus deficiente, corruat actus, id tamen limitationem recipit, niſi ex pluribus cauſis una principalis ſit & altera ſecundaria, cùm illud perpetuò obtineat, ut ejus quod principale eſt ratio habeatur, neglecto eo quod ſecundarium eſt, prout latiùs docet *Tiraquel. ad reg. ceſſante causâ limitatione* 22. *n.* 2.

7. Si verò in privatis familiis earumque pactionibus ita ſe res habeat, ut conſideratio conſervationis earumdem præponderet doti, debet ſine dubio multò magis attendi cauſa quæ communem Reipublicæ ſalutem utilitatemque reſpicit; quæ proindè ſi conjuncta ſit atque immixta nuptialibus renunciatoriis pactis, omne pondus ad ſe trahere, & utramque paginam facere dicenda eſt. Notum eſt inter Heroës ſeu primæ notæ Magnates coaleſcere nuptias non lenocinante pecuniâ, ſed invitante generis claritate, quam factis memorabilibus in poſteros extendere ipſi meditantur, & per pacta renunciatoria hoc ſolum procurari, ne per devias extra ſexum ſucceſſiones materia virtutis exercendæ ſubtrahatur.

Re-

Regia etiam connubia & abdicatoriæ conventiones iis adjunctæ non aliud ſpirant quàm publicas cauſas quæ palàm enunciari ſolent.

8. Exempla duo maximè illuſtria ævum noſtrum ſuppeditat, primùm nuptias Ludovici XIII. Regis Galliæ cum Anna Auſtriaca Philippi III. Filia Anni 1616. alterum nuptias inter Ludovicum XIV. etiam Galliæ Regem & Mariam Thereſiam Philippi IV. Filiam Anni 1659. In utriſque renunciationes ſucceſſoriæ totidem propè verbis conceptæ, nullâ promiſſæ dotis mentione factâ, hunc publicum finem præferunt: *Que d'autant que leurs Majeſtez viennent à faire ce mariage afin de tant plus perpetuer & aſſeurer la Paix publique de la Chreſtienté, & en contemplation auſſi des juſtes & legitimes cauſes qui monſtrent & perſuadent l'egalité, &c. au grand bien & augmentation de la Foy & Religion Chreſtienne accordent & arreſtent par contract & pact conventionel entre Elles, qui ſortira & aura lieu, force & vigueur de Loy ferme, & ſtable à tout jamais en faveur de leurs Royaumes, & toute la choſe publique d'iceux, que la Sereniſſime Infante d'Eſpagne & les Enfans procrées d'elle, ſoient maſles ou femelles, & leur deſcendence premiere ou ſeconde en quelque degré qu'ils ſe puiſſent treuver, voire à tout jamais ne puiſſent ſucceder, ny ſuccedent és*

V 2 *Royau-*

Royaumes, Estats, Seigneuries & Dominations qui appartiennent & appartiendront à Sa Majesté Catholique, &c.

Cui accedat hæc velut anima & finalis causa totius dispositionis, *estants les deux Couronnes si grandes & si puissantes*, & quæ sequuntur in pagina 24. in deductione præcedenti.

Absolutissima periodus omnes successionum publicarum eventus ac renunciationum cautiones complexa, nullam mentionem dotis injecit, quia religio erat pactis publicis rem privatam commiscere, qualis erat dotis constitutio ex patrimonio Regis Catholici, de qua proindè separato Capitulo & per specialem pactionem in hunc modum cautum est: *Que moyennant le payement effectif fait à Sa Majesté Tres-Chrestienne des cinq cens mille Ecus d'or sol aux termes qu'il a esté dit, ladite Serenissime Infante se tiendra pour contente, & se contentera du susdit dot, sans que par cy aprés elle puisse alleguer aucun sien autre droit, ny intenter aucune autre action ou demande, pretendant qu'il luy appartienne ou puisse appartenir autres plus grands biens, droits, raisons, & actions pour cause des heritages, & plus grandes successions de Leurs Majestez Catholiques ses Pere & Mere*, &c.

Quibus ex verbis apparet non agi isto in Articu-

culo de Regnorum aut ſupremorum Principatuum ſucceſſione abdicanda (de qua Articulo proximo ampliſſimis verbis diſponitur) neque de pecunia eam ob rem promiſſa , ſed de exſtinguenda dotis obligatione per plenam numerationem dictæ ſummæ , cujus reali exſolutione profitetur dicta Infans ſibi ſatisfactum , ſeque contentam tam ſuper dotis obligatione quàm aliis actionibus , petitionibus , bonis , juribus ſibi competentibus ibidem relatis , quæ rem privatam , non publicam ſonant : nam patrem officio dotandi perfungi , privata res eſt ; filiam acquieſcere pecuniæ aſſignatæ ad rationes patrimonii ejus pertinet.

Actiones , prætentiones , jura , poſſeſſiones , bona , ſucceſſiones ſine mentione ſupremi Imperii eorumque remiſſiones , privatarum rerum nomina & qualitates ſunt , ut ſatis indè liqueat totam periodum de rebus privatis contextam eſſe , undè proindè ad ſucceſſiones publicas argumentum ſumi non poteſt , ut quia dos ſuo tempore repræſentata non fuit , renunciatio publicarum ſucceſſionum etiam deficiat ; à privatis enim ad publica legitima non fit ratiocinatio.

Si reſpiciamus vetuſta exempla dotationum quibus Regiæ Filiæ nuptui elocatæ ſunt , non facilè reperientur quæ eum effectum habuerint , ut ob 9.

non exſolutam pecuniam dotalem, ipſa ſucceſſionis renunciatio vacillaverit. Qui dubitarunt aliquando de nummariæ dotis ſolutione hac cautione uſi ſunt, ut agros pignoris loco ſibi fruendos dari ſtipularentur, quouſque dos cauta nec repræſentata plenè adnumeraretur. Ita Renatæ Ludovici XII. Filiæ adſcripta doti ducentorum quinquaginta ſcutatorum millia, & in ſecuritatem accepta pignoratitia poſſeſſio Carnutum cum perpetua redimendi facultate, quam *Antichreſim* Juris-Conſulti vocant, uti refert *Chopin. de Domanio Gallico lib.* 3. *tit.* 4. ubi & alia quædam ſingularia circa dotationes ejuſmodi adducit, quæ omittimus vitandæ prolixitatis causâ; uti & ea omnia conſultò præterimus quæ vulgò circumferuntur, tum de oblatione dotis promiſſæ ab aliquo tempore ritè facta, tum de imputationibus quibuſdam admittendis in ſolutum, ac denique de clancularіis inter partes conventionibus & derogationibus. Quorum omnium cùm minimè gnarum me eſſe profitear, optimum erit mentionem penitùs omitti ab eo, qui nullâ publicâ authoritate inſtructus de Jure privato Devolutionis commentatur.

10. Colligamus verò in unum præcipuas utrimque rationes, quibus renunciationes publicarum ſucceſſionum, de quibus agimus, vel impugnari vel ſuſtineri poſſunt.

Con-

Contra ejuſmodi renunciationes facit primò authoritas Juris communis, quòd pacta abdicatoria ſucceſſionum apertè improbat.

Deinde minor ætas filiarum renunciantium atque ſexûs earum fragilitas, tum læſio plerumque enormis, vel enormiſſima, aut denique reverentia paterna authoritatem hujuſmodi conventionibus detrahere videntur.

Præterea dotalis pecuniæ quæ promittitur à patre vel tarda vel nulla ſolutio facit deficere cauſam cui renuntiatio innititur, ac conſequenter ipſam etiam renunciationem. Idque vel maximè tunc cùm cauſa renunciandi per modum conditionis concepta eſt, qualis videtur eſſe ſi renunciatio fiat hâc aut ſimili formulâ, *mediante ſolutione reali ſummæ promiſſæ, renuncio ſucceſſioni*, &c.

Devolutionis etiam renunciatio ſingulari vitio laborare videtur ex hoc capite, quòd non prorſus de incerta re concepta ſit, qualis incertitudo renunciationes ſucceſſorias tuetur, ſed de bonis jam devolutis & proprietate acquiſita, ſi credimus formulariis noſtris, & conſuetudinum patriarum Conſultis.

Hoc quoque peculiare cenſent quidam ineſſe Renunciationibus Regiis & ſupremarum poteſtatum, quod non aliter ratæ ſint ac firmæ quam ſi populi

ſeu

ſeu ſtatuum Regni approbatione fulciantur, leges quippè fundamentales quibus nititur publica ſucceſſio inverti ac mutari non poſſunt ſolius temperantis arbitrio, qui ipſius Monarchiæ abſolutus Dominus non eſt ut eam transferat de familia in familiam uni auferens & alteri concedens. Itaque ſi injuſſu populi facta ſit renunciatio in alterius favorem quam qui publico jure ſuccedendi nititur, nec populus calculum ſuum adjecerit, effectu caritura videtur hujuſmodi renunciatio. *Belluga in ſpeculo Principum Rub. n.* 10. Atque ita in ſpecie de Regno Francorum. *Joannes à terra rubea tract. primo, Concilio 9. relatus ab Hotomano cap.* 25.

In contrarium verò pro validitate hujuſmodi renunciationum facit, quòd apud Nationes omnes ſpreto hac in parte Jure Romano, pactiones renunciatoriæ receptæ ſint, præſertim ubi agitur de ſtabiliendis aut conſervandis familiis illuſtribus.

Quod attinet ad ætatem filiæ renunciantis, eadem pro his pactionibus ſufficere debet, quæ juſta & legitima eſt pro ipſis nuptiis, cujus ſequela & pars quædam eſſe cenſentur.

Sed nec ſexus, nec reverentia paterna, nec læſio hic conſiderantur propter dubium eventum ſucceſſionum, & ſpem lucri quod minori inde obvenire poteſt.

De-

Defectus ſolutionis promiſſæ pecuniæ dotalis, non facit etiam caducam renunciationem, non magis quàm defectus ſolutionis pretii reſcindat contractum emptionis: ſupereſt enim ſolùm utrobique perſecutio rei promiſſæ.

Nihil etiam intereſt, ſive per modum conditionis, ſive ſub modo facta ſit renunciatio, nam quoad caducitatem ob defectum implementi nihil inter illa intereſt, & quoad reſolutionem actûs, ſemper attenditur *cauſa primaria* ſeu *finalis* ejuſdem quæ in publicis & illuſtribus connubiis pactiſque cohærentibus, eſt vel conſervatio familiæ, vel publica utilitas.

Singulare etiam nihil eſt reſpectu hujus rei de qua agitur in Devolutione: licèt enim inter ſucceſſionem & devolutionem lata ſit differentia, conveniunt tamen in incertitudine eventûs, & conditione quæ utrique ineſt, *ſi liberi parenti ſupervivant*, quæ proindè incertitudo non tantùm ſuſtinet renunciationes ſucceſſionum, ſed etiam pactum renunciatorium & abdicatorium devolutionis.

Quod poſtremo loco adducitur de adhibendo aſſenſu populi vel ordinum in renunciationibus ſupremarum poteſtatum non eſt planè expeditum, ſuppetunt enim exempla in utramque partem, ubi & effectum habuerunt renunciationes, teſtamenta,

in dotem dationes, & alii tituli hujusmodi, licet nulla adesset ordinum expressa approbatio, atque è contrario quædam dispositiones de Regnis à Regibus factæ irritæ habitæ sunt, quod judicio & authoritate populi destituerentur, quorum exemplorum in utramque partem magnum numerum reperire est apud Cassanum........

Mihi videtur satis esse tacitam approbationem populi concurrere, cum ea non minoris roboris sit atque expressa: *Quid enim interest*, inquit Julianus l. 32. ff. de legibus *suffragio populus voluntatem suam declarat, an rebus ipsis & factis?* Itaque si renunciationes de quibus agitur palam populo notæ fuerint, si in regestis publicis solemniter annotatæ; plausu communi exceptæ sint, nihil est quod ad plenam approbationem desiderari queat.

Si verò reluctentur Regni proceres, si se interponat populi spectabilis pars, si Parlamenta, & Curiæ, recusent Annotationes solitas, aut promulgationes, aut aliàs manifesta sint argumenta dissensus; videtur non jure fieri si Reipublicæ invitè extraneus Princeps legitimâ successione non vocatus titulo renunciationis obtrudatur.

Ex quibus lineamentis facilè est vulgarium ratiocinationum defectuositates detegere, particulatim illius argumenti quo colligere volunt propter re-

nun-

nunciationum caducitatem, Brabantiæ Ducatum subjectum fieri Juri Devolutionis, quod longè alienum à vero esse proximo Capite ostenditur, scilicet nec cessante omni renunciatione dictum Ducatum Juri isti non subjacere.

CAPUT XXI.

Utrum ipse Ducatus Brabantiæ subjectus sit Devolutioni?

SUMMARIUM.

1. *Argumentum primum pro parte affirmante ex re judicata* 1230. *contra Ducem Brabantiæ Henricum, qui viduus cùm esset, bona quædam alienaverat.*
2. *Alterum argumentum sumitur ex regula feudali, quòd feudum dominans sequatur conditionem & mores feudorum servientium.*
3. *Tertium argumentum ex eo deducitur, quòd Principes Belgii jurare soleant se observaturos mores & Jura Regionum.*
4. *E contrà non concludunt argumenta adducta: nam sententia lata contrà Henricum Ducem Brabantiæ non agit de ipso Ducatu, sed de* bonis quibusdam *Ducis.*
5. *Ulterior ejus rei probatio per argumenta irrefragabilia.*
6. *Quid obtinuerit ante sæculum duodecimum circa successionem Ducatus.*
7. *Quid ordinatum* 1204. *per Philippum Regem Romanorum circa eandem successionem.*
8. *Quid sanxerit Carolus Quintus Imperator circa successionem fœminarum in Principatus Belgii.*
9. *Alia acta ejusdem Caroli Quinti, quibus ostendit se Jus Devolutionis circa Provincias Belgii non agnoscere.*

10. *Similia acta Philippi Quarti Hispaniarum Regis, quibus idem luculenter declaravit.*
11. *Absurditates quæ resultant ex contraria sententia.*
12 *Non valet hac in re ratiocinatio à privato ad publicum.*
13. *Responsio ad secundum argumentum de sequenda consuetudine feudorum servientium.*
14. *Seposita omni lege propriâ circa successionem Brabantiæ, quodnam Jus eo casu sequendum.*
15. *Non posse recurri ad Jus feudale Brabantiæ, quod evincitur scriptum esse privatorum feudis.*
16. *Quid olim a Ducibus Brabantiæ assignatum sit filiabus Ducum.*
17. *Unicum extat exemplum, ubi filia Ducis partem Ducatus sibi asserere voluit* 1326.
18. *Sed repulsam passa ex eo capite, quòd mulieribus nullum jus competat succedendi in Ducatu quamdiu masculus aliquis superest, ubi & Historia totius rei gestæ refertur.*
19. *Juri Gentium adversari videtur, ut in publico regimine fœmina præferatur mari ejusdem gradus.*
20. *Objectio quòd Brabantia sit qualitatis feudalis recognoscens Imperium Germanicum, quod exponitur & limitatur.*
21. *Rursum ostenditur non posse ex feudis aut aliis bonis privatorum argumentum trahi ad devolutionem ipsius Ducatus, absurda quæ inde sequerentur.*
22. *Si Devolutioni locus non est circa Ducatum Brabantiæ, quid sibi vult quòd Wenceslaus Secundus declâravit* 1411. *se Devolutioni Brabanticæ in gratiam Ducis Anthonii renunciare? id exponitur & ostenditur ab æquivocatione vocis* Devolutio *procedere.*

MUtila videretur hæc tractatio de Devolutionibus, si nihil de ipsius Ducatûs Brabantiæ devolutione adjiceretur, cùm omnis ordo hominum de ea hodie disceptet, docti pariter atque indocti. Superiùs quidem Capite tertio recensita sunt bo-

bona Brabantica maximè feudalia quæ Legi Devolutionis parent, ſcilicet ea quæ nexu clientelari à Duce Brabantiæ in feudum tenentur: at nunc de ipſo Ducatu Brabantiæ quæritur, an is ipſe ſubjectus ſit devolutioni.

Erunt fortaſſe qui partem affirmantem amplecti volent, moti his argumentis.

In primis ante quatuor ſæcula videtur reſpectu 1.
ipſius Ducis Devolutio locum habuiſſe, cùm ex hoc capite interdictio quædam alienandi ei facta fuerit, qua de re profertur ſententia Henrici Imperatoris anni 1230. quâ pronunciavit Henrico Duci Brabantiæ ob mortem uxoris, non licuiſſe in præjudicium filii ſui bona quædam diſtrahere, his verbis: *Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, &c. Notum facimus, quòd cùm Henricus major filius illuſtris Principis Ducis Lotharingiæ matrem habuerit, & illa ſit mortua, per ſententiam Principum in Curia noſtra eſt judicatum, ſi idem Dux de bonis quæ poſſidet aliquid alienaret; & in manus vellet transferre alienas, dictus Henricus ſe de iiſdem bonis poſſet intromittere, & occupare licenter ad uſus ſuos, & tenere. Datum Friburgiæ anno gratiæ* 1230. 4. *Kal. Maii.* Quæ ſententia refertur in Trophæis Brabanticis *Chriſtophori Butkens fol.* 78. *probationum*, eoque mo-

mentoſior eſt, quòd non tantùm improbet Imperator alienationes quas dictus Henricus viduus parabat facere bonorum ſuorum, ſed filio etiam permittit res ita alienatas occupare; exemplo ejus quod olim in ſimili conſtituit Imperator Adrianus *in L. Imperator 50. ff. ad S. C. Trebellianum*, patrem diſſipantem bona fideicommiſſi filio ſuo relicti ſub conditione, coërceri & puniri eorumdem bonorum amiſſione, etiam ante conditionis eventum.

2. Deinde urgeri poteſt regula à Pragmaticis recepta, quæ dictat quòd quoties de Legibus aut conſuetudine feudorum quæritur, non dominantis, ſed ſervientis feudi Leges & mores intueri oporteat. quod ita judicatum in Curia Pariſienſi, refert *Molinæus in tit. feudorum* §. 12. *quæſt.* 20. *&* 86. *contra Joannis Fabri ſententiam in L.* 1. *cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* & ita etiam ſæpiùs judicatum in Brabantia. Atqui indubitatum eſt feuda inferiora, & ſervientia Brabantica, regi Jure Devolutionis, ex conſequenti videtur ipſe Ducatus eidem Juri eſſe obnoxius.

3. Quæ argumentatio eò ſpecioſior evadit, ſi conſideretur Principes Belgii in actionibus & negotiis ſuis paſſim uti communi Jure ſubditorum ſuorum; nam *quamvis legibus ſoluti ſint, legibus tamen vivere*

de-

desiderant: quod ut eò attentiùs faciant, solenni sacramento promittunt Ordinibus in auguratione sua, nihil voluntate liberâ, sed omnia jure, & secundùm instituta Majorum peragere, uti reipsa quotidie faciunt.

Neutrum porrò argumentum probat subjectio- 4.
nem Ducatûs Brabantiæ respectu Devolutionis, nam Henrici Imperatoris Sententia in medium adducta, si vera & legitima est, quod nondum mihi innotuit, nullam omninò mentionem facit ipsius Ducatûs, aut partis ejusdem, sed loquitur solùm *de non alienando aliquid de bonis quæ Dux possidebat.* Cùm verò duplicis generis sint bona Principis, vel domanialia seu annexa dignitati Ducali, vel patrimonialia quæ possidet privato jure, nihil occurrit quod evincat agi de primo genere bonorum, quin imò tractari ibidem de privatis bonis argumento est, quòd alienatio prohibeatur eò quòd Princeps Henricus filius Ducis *Matrem habuerit, & illa sit mortua*, quæ ratio utpotè privata, non erat idonea si aliquid Ducatui adhærens, & connexum Dux parabat alienare; talis quippè alienatio sine respectu ad mortem præcedentem uxoris, irrita & inanis erat ex publico jure, quod ejusmodi alienationibus resistit, si fiant sine Ordinum omnium consensu, de quo videre li-

licet Bellugam in ſpeculo Principum, *rubr. 9. in principio*, *Chop. de domanio Franciæ lib. 2. cap. 1.* Nam ſolent in inaugurationibus ſuis Duces Brabantiæ jurato promittere ſe nihil de Ducatu alienaturos ſine Ordinum conſenſu.

5. Detur tamen potuiſſe utramque cauſam & publicam & privatam influere in nullitatem alienationis à Duce tentatæ, atque viguerit illo etiam ævo prohibitio alienationis bonorum reſpectu Ducis ex capite ſoluti matrimonii per deceſſum uxoris ejus, an indè ſtatim conſequens erit, etiam tunc obtinuiſſe exoticum & abnorme jus, ut filia primi thori excluderet à ſucceſſione Ducatûs filium ſecundi thori? ſanè nullum veſtigium aut exemplum tam irregularis ſucceſſionis in Annalibus aut Hiſtoriis noſtratibus reperire eſt. Nec de uno Articulo ad alium rectè infertur, cùm poſſit prohibitio alienationis vigere, & liberi ſecundi thori æqualiter ſuccedere cum liberis primi thori, uti reipſa in variis locis conſuetudo invaluit, imò olim apud Atticos teſte *Demoſthene*, adverſus *Stephanum* ita Jus fuit, ut extantibus liberis, fas non foret patri bona ſua diſtrahere, undè nihil ad ipſam ſucceſſionem inferri poterat, quàm æqualem inter liberos fuiſſe monumenta quæ ſuperſunt Juris Attici, oſtendunt.

Sed

Sed ſupervacuum eſt argumentis probabilibus rem agere, cùm liquidò demonſtrari poſſit ex legibus Patriis, & convinci exemplis indiſputabilibus Devolutioni circa dignitatem Ducis, quando occaſio erat, nunquam locum fuiſſe datum, ſed è contrariò multa acta, & diſpoſita ab Imperatoribus & Principibus Belgii, quæ ſi Devolutio obtineret, ſubſiſtere non poſſent.

Antè ſæculum duodecimum, ut mox apparebit, filiæ Ducis Brabantiæ in totum excludebantur à ſucceſſione Ducatûs, tamquam incapaces & inhabiles ratione ſexûs, tantum abeſt ut ipſæ ſi ex priori thoro eſſent, maſculis ſecundi thori fuerint prælatæ. 6.

Sæculo proximè ſequente, anno ſcilicet 1204. Rex Romanorum Philippus, rigorem illum temperavit, atque in celebri Principum conventu ad Confluentiam, novam conſtitutionem in gratiam Ducis emiſit, his verbis: *Inſuper Regiâ noſtrâ authoritate ſtatuimus, & memorato Duci concedimus, ut filiæ ſuæ, ſi maſculum hæredem non habuerit, in feudis ſuis liberè ei, tanquam maſculi ſuccedant.* 7.

Quorum verborum complexu duo continentur: primum ad illud uſque tempus filias incapaces fuiſſe ſucceſſionis in Ducatum Brabantiæ, quandoquidem id novo privilegio iiſdem concedatur:

alterum non ſimpliciter, & abſolutè filias in futurum ejuſdem ſucceſſionis capaces eſſe redditas, verùm cum hac limitatione, *ſi Dux maſculum hæredem non habuerit*, quem proindè quando habet, jus priſtinum de earum incapacitate illæſum manet.

8. Anno 1549. Carolus Quintus Imperator, Edicto perpetuo ſanxit, ut *in omnibus ſuis Provinciis patrimonialibus & hæreditariis*, deinceps filiæ Principum, non extantibus maſculis hæredibus, ſuccedere poſſint. Anno eodem aliam conſtitutionem emiſit, declaravitque mentis ſuæ ſententiam eſſe, ne Belgicæ Provinciæ ulla ſuccedendi varietate, ab invicem unquam ſeparentur, ſed perpetuâ conjunctione ab uno ſemper Principe poſſideantur, his verbis: *Deſirant ſur toutes choſes pourveoir au bien, repos & tranquillité de nos Pays de pardeçà, & conſerver iceux en une maſſe, & qu'ils ſoient inſeparablement poſſedés par un ſeul Prince.* Quem ſcopum ut aſſequeretur Imperator, differentiam omnem ſucceſſionis, tanquam obicem unicum propoſiti ſui è medio movit, introducto per omnes Provincias Jure repræſentationis, quo liberi in ſuccedendo, parentum ſuorum qui propinquiores erant, locum, & perſonam exhibent, quòd tunc in quibuſdam earum nondum obtinebat, & à quo ſolo diviſio compagis hujus corporis Belgici me-

metui potuerat. Quam novam conſtitutionem Ordines ſingularum Ditionum, ut Paci, & ſtabilitati publicæ neceſſariam, non tantùm comprobarunt, ſed etiam efflagitarunt (uti ex actis publicis liquet) ac deindè earumdem Gubernatores ſubſcriptione nominis ſui muniverunt his verbis: *Meſmes leſdits Eſtats ont fait inſtance devers nous, que voulusſions introduire laditte Loy*, &c. *Statuons & decretons, qu'en tous noſdits Pays repreſentation aura lieu en ce qui touche la ſucceſsion de Prince ou Princeſſe eſtans capables à ſucceder*, &c. Poſt quæ ſequitur longa ſeries nominum adſcriptorum, non tantùm Procerum & Nobilium, ſed primi ſubſellii Togatorum, puta Præſidis ſacri Conſiſtorii, Cancellarii, &c.

Hæc tam ſollicita diligentia & providentia tota inanis atque irrita erat, ſi Provinciarum aliquæ Juri Devolutionis ſubjectæ, & aliæ exemptæ erant: quomodo enim firma poterat eſſe conjunctio, ſi quædam Ditiones propter Jus Devolutionis ad liberos primi matrimonii, aliæ ad genitos ſecundo thoro pertinere debeant? exciderit proindè ſapientiſſimus Princeps ſcopo ſuo, eò quòd Jura Ditionum ſuarum ignoraverit; quod ineptum fuerit cogitare, & nemo rerum conſultus facilè dicet, qui expenderit Ordines, & Concilia Pro-

vinciarum præcipua tam ſolemni legi condendæ interveniſſe, quos omnes Jus, in quo quotidie verſabantur ignoraſſe, ab omni veriſimilitudine alienum eſt.

9. Idem Imperator rebus & factis ſuis publicè teſtatum toti Mundo fecit, ſe Devolutionis Ius in Provinciis Belgicis non agnoſcere, nam amiſsâ primâ uxore Eliſabethâ Luſitanâ, ex qua Philippus (uti ex Philippo etiam viduo Mariæ Luſitanæ Carolus ſupererat) de Provinciis Belgicis liberè diſpoſuit in nuptiis ejuſdem Philippi Secundi cum Maria Angliæ Regina initis anno 1554. inter cætera ſpondens liberos qui ex iſto matrimonio naſcerentur, ſucceſſuros in omnes Belgii Provincias, excluſo Carolo Philippi Filio; quod ei minimè licuiſſet, ſi per Devolutionis leges, Ducatus Brabantiæ, Geldriæ, &c. proprietate jam exciderat, eaque ad dictum Carolum devoluta erat, uti in privatis devolutionibus Jus eſt, ubi Patre & Avo viduo bona devoluta ad Nepotem tranſmiſſa ſunt.

Similiter Philippus Secundus ſolutus matrimonio cum Eliſabetha Francica tertia uxore ſua, de iiſdem Provinciis ex arbitrio ſuo ſtatuit, & contraxit; cedens eas, ac donans Iſabellæ Filiæ ſuæ anno 1598. nubenti Archiduci Alberto, quas etiam certis legibus reverſionis ad ſtirpem Hiſpanicam, aliiſ-

aliiſque pactis adſtrinxit, non facturus ſi exiſtimaſſet devolutionis vinculum ſibi injectum, & proprietate præcipui Ducatûs, ſeu ejuſdem diſpoſitione, ſe vi conſuetudinis excidiſſe, quo caſu neque cedere, vel donare, aut conditiones ullas Filiæ ſuæ imponere poterat, utpotè cui jam ſine ullo onere Ius quæſitum erat, ſi devolutioni locus in hujuſmodi ſupremis titulis dari debebat. Quibus exemplis conficitur, neque agnitum fuiſſe à Principibus noſtris Ius Devolutionis reſpectu harum Provinciarum, neque ulla in re effectum habuiſſe, acquieſcentibus cunctis quorum intereſſe poterat.

De quo Iure ſi dubitatum aliquando fuiſſet, non omiſiſſet Sabaudica Domus anno 1633. poſt mortem ejuſdem Iſabellæ Sororis Germanæ Catharinæ, hoc etiam argumento non parum ſpecioſo cauſam ſuam ſtabilire; quando omnia quæ potuit, movit, ad ſucceſſionem harum Ditionum ex capite Catharinæ ſibi aſſerendam.

Si enim, ut probabiliter ratiocinantur, Devolutioni quæ inter privatos viget, etiam in iſta ſucceſſione publica locum eſſe oportebat, dubium non eſt, quin eo Iure ſecuritas proprietatis Brabantiæ, poſt mortem Philippi, etiam ad Catharinam Sabaudicam ſubordinatè, & gradatim pertinuerit, atque eâ ſublatâ anno 1597. ac deindè defunctâ Iſa-

bellâ anno 1633. hæredes Catharinæ Ius succedendi haberent, si aliud nihil obstaret; sed qui publicis scriptis Domûs Sabaudicæ causam tunc propugnarunt, & quibus potuerunt rationibus & titulis muniverunt, sibi persuasum non habuêre, se aliquid præsidii in Devolutione posse collocare, cujus proindè mentionem penitùs omiserunt.

10. Philippus hujus nominis Quartus, flagrante nuper Bello Gallico, similiter ostendit se licèt viduum uxore, Devolutioni minimè esse subjectum, dum prædia complura, titulos, & Toparchias Brabantiæ, publicâ licitatione distraxit, accedente atque emente omni genere hominum, & consentientibus quoque Ordinibus Brabantiæ, nullâ factâ mentione, aut oppositione ex causa Devolutionis, undè satis liquet communem hunc populi esse sensum, ut existimet respectu Principum, & Principatuum, Devolutioni locum non dari.

11. Post constitutiones & exempla tam illustria, quis nisi pervicax in dubium ausit vocare exemptionem Ducum Brabantiæ à plebeio illo Iure Devolutionis? Quis possit videre, quis possit pati filiam in successione Principatûs anteferri filio omnium Nationum consensu ad imperandum nato, præ sexu sequiore, naturâ invalido, & ad parendum genito? Portentum inusitatum conflatum dicant

om-

omnes Politici, ubi viderint inverſo naturæ ordine, ſceptra moderantem fœminam, & parere virum ejuſdem gradûs & familiæ.

Neque quidquam ad rem facit quòd in privatis 12.
ſucceſſionibus ita in Brabantia jus ſit.

Indè enim ad publicam ſucceſſionem duci argumentum non poſſe pronunciet ſuis verbis Arniſęus, Politices Author Germanus nulli parti obnoxius, c. 2.ſect. 4. n. 11. *Ius in omnibus Gentibus inde uſque à primordiis Regnorum invaluit, ut quàntumvis ſucceſsionis Iure utantur, ad filias tamen Reipublicæ gubernacula non devolvantur, quamdiu Mares ſuperſunt*, & ſect. 12.n.57. & 67. *Fœmina etiam major natu in ſucceſsione indivisibili excluditur à Maſculo, & existente Maſculo redigitur ad inſtar ſecundi gradûs. Et licet in privatis hæreditatibus aliud jus obtineat, & æquales portiones fæmellas cum maſculis auferre patiamur, an indè licet progredi ad ſucceſſionem in rebus politicis? & publica exigere ad leges privatorum?*

Alterum Argumentum de ſequenda conſuetudine 13.
feudorum ſervientium, quando dubitatur de feudi principalis natura & ſucceſſione, ſponte ruit ſuâ, nemo quippè tam hębes eſt, ut huic regulæ locum det, quando eidem feudo dominanti particulare jus impoſitum eſt circa ſucceſsionem, ſive per conſtitutiones Imperatorias, ſive per conſuetudinem diutino ac pu-

publico usu firmatam. Ad quem modum *Molinæus d.l.* etiam regulam eandem limitat. Ita si dubitetur an ex Iure Devolutionis in Ducatum Brabantiæ succedat filia primi matrimonii, excluso filio secundi matrimonii non est eundum ad feuda servientia, cùm ipse Ducatus legem propriã habeat à Rege Romano Philippo, & ab Imperatore Carolo, quæ dictat filias omnino non admitti quamdiu filius aliquis superest.

Si quæratur etiam, an Dux Brabantiæ viduus, alienare queat bona sua, inspiciendum quid retrò actum, & observatum sit, & reperietur eundem Carolum, & deindè Philippum Secundum & Quartum alienasse, distraxisse, & pactos esse non custodito Iure Devolutionis, subditorum nemine reclamante, & consentientibus Ordinibus, & iis omnibus quorum interesse poterat, quæ res si non facit publicum & firmum Ius, nihil erit quod facere possit.

14. Supponamus tamen nullam exstare legem aut consuetudinem de successione ipsius Ducatus, & incidere casum dubium nusquam decisum, petendane erit decisio ex Iure Brabantico feudali quod Devolutionem admittit, an ex consuetudine quarumdam Regionum Brabantiæ eidem Iuri in Allodialibus locum dantium, an ex usu earum quæ à Iure isto exemptæ sunt?

Quod pertinet primò ad consuetudines feudales Bra-

Brabantiæ, manifeſtum eſt ſi quis animum adverterit, eas unicè directas & conceptas eſſe in feuda privatorum, cùm pleraque ibidem diſpoſita refragante materiâ applicari nequeant ipſi Ducatui, aut ſummo Imperio: agitur enim paſſim diſertis verbis de feudis Curiæ Clienterali obnoxiis, *quæ ab ipſo Duce tenentur ſeu moventur*; agitur de formulis inveſtiturarum, de homagiis, & jurejurando fidelitatis à Vaſallis præſtando, de laudimiis ſeu recognitionibus, item de alienationibus, donationibus, permutationibus, coràm paribus Curiæ faciendis, ac de indultis impetrandis à Principe ad teſtandum, de Jure retractûs aliiſque ſexcentis quæ in Ducatum ac ſummum Imperium non quadrant. Atque inter cætera etiam ſtatuitur de feudorum inter liberos & fratres diviſione, & quæ eam, Parente adhuc vivo, certam reddat devolutione, undè aliquid hic notandum eſt ex quo liquidò eluceſcat nunquam obſervatum fuiſſe in publica ſucceſſione Jus iſtud feudale, quod de privatorum feudis diſponit.

Nam Articulo 21. earumdem conſuetudinum in hunc modum ſtatutum eſt: *Si pater, vel mater plures liberos habens moriatur ac relinquat bona vel reditus feudales, qui tenentur à Duce Brabantiæ, major natu præter prærogativam exercitii poteſtatis acquirit*

rit duos feudi trientes fructuum & utilitatis indè procedentis, reliquo triente inter alios liberos æquis portionibus dividendo. Hactenus Textus Consuetudinis.

16. Si quis verò excutiat Annales & monumenta Brabantiæ, non facilè reperiet in successione Ducatûs eandem regulam observatam fuisse, sed è contrario Ducem nullâ initâ ratione familiæ seu patrimonii herciscundi, aut factâ divisione per trientes, Ducatum universum sibi semper vindicasse, assignatâ modicâ portione fratribus & sororibus, per modum potiùs alimentorum aut dotis, quàm justæ divisionis: ac sæpiùs in certa pecuniæ summa vel annuo reditu, quàm in bonorum corporibus aut titulis; quanquam & hoc postremum aliquando usurpatum sit, sed non ad ratam aut quotam ipsius Ducatûs; verùm ut honori familiæ sustinendo, liberi secundò geniti pares essent, quod genus peculii & assignationis, Galli proprio vocabulo *Appanagium* vocant, vel *Pannagium*, quod indè dictum videtur, quòd liberis post natu majorem genitis indè panis seu alimentum præstetur, ut post alios tradit *Menage in Originibus Linguæ Gallicæ verb. Appanage.* idque in isto Regno surrogatum videtur divisionibus & Tetrarchiis quæ olim fiebant ipsius Imperii Gallici,

quas-

quaſque multùm incommodi invexiſſe experientia docuerat, de quo argumento latiùs videri poteſt *Chop. de Domanio Galliæ lib. 2. art. 3.*

Unicum in hiſtoriis noſtris exemplum occurrit, ubi filia Ducis partem aliquam Brabantiæ ſibi cedi poſtulavit, ſed ſolennem repulſam paſſa, perpetuo præjudicio ſibi ac ſexui ſuo in poſterum aditum ad Ducatum Brabantiæ omneſque ejus partes obſepſit. Ea fuit Margareta Ioannis Primi Ducis filia, ex cujus capite, utpotè matris, Ioannes Bohemiæ Rex & filius Imperatoris Henrici, Bruxellæ in Concilio Ducis à Ioanne Tertio circa annum 1326. partem Brabantiæ ſibi aſſerere tentavit; cui à Cancellario Brabantiæ gravi Oratione reſponſum eſt, ſecundùm immemorialem conſuetudinem Brabantiæ, fœminis in Ducatu iſto nullum Jus ſucceſſionis eſſe ſi maſculus aliquis ſuperſtes ſit: quod ne exaggerando à me dictum eſſe videatur, optimum erit ipſa verba fideliſſimi Hiſtorici P. Divæi hic ſubjicere, qui *lib. 14. rerum Brabantic.* ſcribit in hunc modum *Inter hæc Ioannes Bohemiæ Rex, idem Comes Luxemburgi, qui Henrico Imperatore ac Margaretâ filiâ Ioannis primi Ducis prodierat, Bruxellam venit, ubi in Concilium Ducis admiſſus, partem ſibi Ducatûs Brabantiæ deberi palàm aſſeruit. Cui per Rogerium à Leſdalia Cancellarium, Virum diſertiſ-*

 ſimum,

17.

18.

ſimum, reſponſum eſt, iniquam Duci Proceribusque videri Regis poſtulationem, cùm id ab omni pœnè memoria inter Brabantinos obſervatum ſit, ne maſculo ſuperſtite, fœminis in Ducatu ſucceſſionis Jus detur. Porrò offerre Ducem ut Procerum Brabantiæ ac Juriſprudentum ſententiæ ea de re mos geratur. Quo intellecto Rex ad minas converſus, & ſe, quod Juris diſceptatione non daretur, armis experturum dictitans ſtatim Bruxellâ diſceſsit, odium in Brabantinos altiſsimo corde premens erupturum poſt aliquot annos maximo utriuſque partis damno.

Sic excluſus petitione ſuâ Rex Bohemus ad eam nationem perfugium ſtatim habuit., quæ Jus in armis ſe ferre dicit, & ubi Juris locum ſibi vindicat enſis, à qua gente impetratis auxiliis, mox incendiis & rapinis agrum Brabanticum fœdare cœpit, uti legere eſt in Annalibus Brabanticis *Haræi* ſub Joanne Tertio Duce.

Quàm autem æquitati conſona fuerit Brabantinorum reſponſio nolentium fœminam ad partem Ducatûs admittere, tum ex conſtitutione Philippi Regis Romanorum anni 1204. jam liquet, tum ex Jure univerſali Gentium intelligi poteſt, quo diviſio non tantùm Regnorum, ſed etiam illuſtrium feudorum, quæ Regales dignitates nominantur, improbatur, quòd jam pridem in conſtantem

ſtantem Juris deciſionem abiit per pragmaticam conſtitutionem Frederici Imperatoris inſertam *Cap.* 19.
unico §. *prætereà de prohibita feudi alienatione*, his verbis: *Ducatus*, *Marchia*, *Comitatus de cætero non dividatur*, *aliud autem feudum ſi conſortes voluerint dividatur*, &c.

Maneat proindè fixum non poſſe à communibus & minoribus feudis argumentationem inſtitui ad Ducatum Brabantiæ, ſive reſpectu diviſionis, ſive reſpectu devolutionis, quòd nullas rationes communes habeat publica res cum privata; præſertim quoad Jus, formam aut leges ſucceſſionis, ut latiùs confirmat *Arniſæus in Politicis cap.* 2. *ſect.* 7. *n.* 6. in ſuprà relatis verbis, & alibi.

Nec minùs vitioſa fuerit collectio ſi quis contenderit ideò Ducatum Brabantiæ ſubjici debere Devolutioni, quòd generaliter feuda omnia Brabantina hoc jure regantur, ut jam dictum eſt, non ſit autem Brabantia à feudali qualitate exempta, ſed Imperio Germanico obnoxia, & Dux 20.
Brabantiæ ſemper habitus inter illuſtriora Imperii membra. Nam non alia feuda ſubjecta Devolutioni ſuperiùs commemorata ſunt, quam cum hac adjectione quæ textui ineſt *quæ à Duce Brabantiæ tenentur*, inter quæ neutiquam eſt ipſa Brabantia, quæ ſi pro feudo haberi debeat, pro

Imperii Germanici feudo censenda est, in cujus clientelam, fidem ac protectionem certis pactis & conditionibus reciprocis recepta est unà cum reliquis Provinciis Belgicis solemni transactione in Comitiis Augustanis anno 1548. inita inter Carolum Quintum Imperatorem & Proceres omnes Imperii, quæ jam inter publica edicta Belgii reperiri potest. De qua materia cùm hic tractandi locus non sit; illud tantùm obiter notabo, tabulas investituræ & recognitionis feudalis, quibus Principes nostri fidelitatem spondent Imperio ratione feudorum quæ hinc indè in Provinciis suis possident, ita conceptas esse, & sæpiùs renovatas sæculo postremo integro (uti ex authentico earumdem exemplari didici) ut Geldriæ quidem Ducatus, & Comitatus Zutphaniæ, Dominium item Trajectense & Transisalanum integræ recognoscantur & suscipiantur ab Imperio; Brabantia verò & aliæ Provinciæ non simpliciter, nec in corpore nominantur, sed cum hac limitatione, quatenus in iis aliqua sint quæ à Sacro Romano Imperio moventur in feudum, his verbis: *Recognoscitur & suscipitur in feudum Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ, nec non Dominia Trajectense & Transisalanum, & deindè omnia alia quæ in Ducatibus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi,*

Lucem-

Lucemburgi, & Comitatibus Flandriæ, Burgundiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Dominiiſque Friſiæ Orientalis & Occidentalis, aliiſque terris inferioris Germaniæ, quæ à S. R. Imperio moventur in feudum, recognoſcuntur ab Imperio unà cum Præfectura & Burggraviatu Imperialis Citadellæ, & Arcis Cameracenſis, &c. Quænam autem ſint iſtæ, ſive partes, ſive Jura quæ Dux Brabantiæ poſſidet beneficio Imperii, & *ab eo in feudum moventur*, nunc evulgare ad rem non pertinet.

Subducto hoc fundamento quod ad ſuſtinendam Devolutionem Ducatûs ex Legibus feudalibus Brabantiæ petebatur, videndum an plus fundamenti ſit in conſuetudine quæ in bonis allodialibus & cenſalibus quibuſdam in locis Devolutionem admittit. Ubi illud inprimis occurrit, quod cùm in non paucis Urbibus & Diſtrictibus exulet Devolu- 21.
tio, & in aliis quibuſdam vigeat, nullam rationem eſſe cur potiùs illi Juri Ducatus ſubjiciendus ſit, quàm iſti quod conſentaneum eſt Iuri communi. Cur potiùs imitabitur publica ſucceſſio mores Oppidi Lovanienſis ubi Devolutio viget, quàm Bruxellenſis & Antverpienſis ubi Devolutio non viget, cur non Ius Genapienſe aut Grimbergenſe, quod à reliquis diſſidet? Rectiùs verò totum hoc genus ratiocinationis rejicitur, ſi pro firmo conſtituamus

mus privata Jura & mores, quos plebei homines ſuis negotiis dirigendis invexerunt, non influere in publicas res aut ſucceſſiones. Habeant ſibi Cives & Municipes ſua Jura quæ inter eos Jure *ſponſionis mutuæ* valeant *L. 1. ff. de Legibus*, ſed Legem imponere ſummæ dignitati ſibi non arrogent, ſciant ſummum rerum arbitrium Principibus datum, ſibi obſequii gloriam relictam eſſe.

22. Cùm ex his quæ hactenùs dicta ſunt, firmum maneat Ducatum Brabantiæ non eſſe obnoxium Juri Devolutionis, quid ſibi vult quòd Wenceſlaus Secundus Romanorum & Bohemiæ Rex, in quodam diplomate ſolemni confirmans fœdus à ſe initum cum Duce Brabantiæ Anthonio Burgundo anno 1411. atque eum agnoſcens pro legitimo Brabantiæ Duce, *tanquam ad quem legitimâ ſucceſſione Brabantia pervenerit*, adjecit hanc clauſulam? *& in quantum opus eſt omne jus quod nobis ſuper Ducatum Brabantiæ per modum devolutionis, ſeu alio quocumque modo competit, aut competere poſſet, eidem Anthonio, ejus hæredibus & ſucceſſoribus dedimus & donavimus*, &c.

Quòd ſi omnino Devolutioni locus non eſſet reſpectu ejuſdem Ducatûs, vana & inanis erat hæc adjiciuncula, imò hæc inſertio ſignificare videtur Devolutioni per ſe locum eſſe, cùm renunciatio facta

facta fuerit ne obesset. Sed responsionem minimè ambiguam suppeditant Annales Brabantiæ, & rerum anteà gestarum series.

Nimirum non agitur de isto Jure Devolutionis de quo hic commentamur, quod nihil tunc ad Wenceslaum pertinebat, cui per ruptionem alicujus thori Ius competiisse in Ducatum Brabantiæ nec fingi quidem potest; cùm nullæ nuptiæ, nullus conjux, nulli liberi primo matrimonio superstites designentur. Verùm agitur de successione seu devolutione successiva certis regulis ordinanda, & de Ducatu Brabantiæ ad Domum & Prosapiam Luxemburgensem transferendo, si Wenceslaum Ducem & Ioannam ejus conjugem contingeret ambos sine liberis defungi, quam devolutionem ex mutuo consensu utriusque conjugis stabilivit authoritate suâ Cæsareâ Carolus Quartus edito solemni diplomate 1356. quod post Franciscum Haræum in Annalibus Brabantiæ ad annum 1356. integrum refert dictus *Eutkens in Trophæis Brabanticis fol.* 190. cujus clausula ad rem nostram pertinens hæc est: *Si nos nullis relictis hæredibus ambos mori contigerit, eo casu Principatus & Ducatus supradicti ad proximiorem Domus seu Prosapiæ Luxenburgensis hæredem qui pro eo tempore fuerit liberè devolventur.* Quæ devolutio circa procemium ejusdem

 dem

dem constitutionis vocatur *Successio* seu *successiva devolutio.* Ne verò quempiam turbet, quòd vocabulo *Devolutionis* non *Successionis* usus sit Rex Wenceslaus, inter ea autem multum intersit, uti suprà dictum est; non raò etiam in Jure Romano nomen *Devolutionis* pro *Successione* accipitur, ut in *L.* 1. *Cod. de bonis maternis*, *l. Centurio ff. de vulg. & pupill. substitutione l. si infanti Cod. de Iure deliberandi.*

Hanc autem esse genuinam interpretationem dicti diplomatis Wenceslai, nec aliud Jus Devolutionis sibi arrogasse eundem Regem etiam indè luculenter patet, quòd anno 1404. deficiente viribus Ioannâ Ducissâ, & confluentibus undique qui Ducatum ambiebant, etiam idem Rex Wenceslaus sese obtulerit, aliud nihil obtendens petitioni suæ quàm pacta illa conventa anni 1356. cum altero Wenceslao Duce Brabantiæ inita (uti videre est in *Annalibus F. Haræi* ad eundem annum) non omissurus ista in occasione, si quid ulterioris & melioris Juris sibi adscribere poterat; quandoquidem illud quod ex constitutione Cæsarea & consensu Ducissæ deducebatur, infirmum & inane esset, utpotè sine pleno consensu Ordinum conceptum, solis intervenientibus Urbium quarumdam delegatis, quibus potestas ista minimè

mè competebat; ſed de his ſatis, ne videamur Annales & Hiſtoriam texere.

Verùm quid eſt, quòd rerum in tanta luce, viros quoſdam Primarios Galliæ, ſatis alioquin oculatos, in tam ſpiſſum errorem egit? Quem etiam populo inſtillare poſſe crediderunt. Et vulgi quidem bibulas aures, ac rerum novarum ſtudia nemo in Galliis mirari ſolet. Primi verò Proceres ſubdolis Iuris conſultationibus ſibi imponi facilè paſſi ſunt, dum Juris Conſultos Belgas ſine hæſitatione vident conſulentibus de Iure reſpondere, Devolutioni in Brabantia locum eſſe, quod cùm rectâ interpretatione de privatis Brabantorum bonis accipi debuerit, callidâ fraude detortum eſt ad ipſum Ducatum, quod ex his quæ anteà dicta ſunt facilè jam refelli poſſe putamus.



CAPUT XXII.

Etiam admissâ devolutione Ducatus Brabantiæ non fore consequens filiam primo thoro genitam præferri filio secundi thori.

SUMMARIUM.

1. *Etsi concederetur Devolutioni locum esse circa Ducatum Brabantiæ, non sequeretur inde Filiam primi thori præferri Filio secundi thori.*
2. *Omnis dispositio generalis intelligenda est de Personis capacibus, & habilibus.*
3. *Ante quatuor sæcula Filiæ Ducum Brabantiæ prorsus inhabiles erant successionis Ducatûs Brabantiæ.*
4. *Anno 1204. à Philippo Rege Romanorum id temperatum, & Filiæ capaces redditæ, si nulli masculi extiterint.*
5. *Hoc jus deinde nunquam mutatum sed sæpius confirmatum, nominatim per Carolum V. Imperatorem.*
6. *Aliter se res habet in successione privatorum feudorum.*
7. *Non posse duci Argumentum à privatis feudis ad supremas potestates.*
8. *Duæ regulæ vigent in privatis feudis, prima quod feuda redacta sint ad instar patrimonialium, secunda quod fœminæ in plerisque exæquatæ sint masculis.*
9. *Hæ regulæ non obtinent in publicis potestatibus.*
10. *Testimonium P. Gudelini Jurisconsulti Belgii non observari in publicis successionibus regulas privatorum feudorum.*
11. *Recapitulatio quorumdam Argumentorum in eandem rem.*

1. SEd demus sine præjudicio veritatis, Ducatum ipsum Brabantiæ non esse exemptum à Jure Devolutionis: largiamur Ducem Brabantiæ viduum non

non posse in damnum liberorum prioris thori portionem aliquam ejusdem Ducatûs in alium transcribere, aut bona connexa quoquomodo alienare: concedatur denique etiam hoc generale enunciatum liberos primi thori in successione Ducatûs excludere liberos secundi thori, modo id non trahatur ad liberos primi thori inhabiles ad succedendum, quibus utique hæc prærogativa tribui non potest. Tra- 2.
latitium enim est ac notissimum omnem dispositionem generalem sive legis sive hominis qua vocantur aliqui ad successionem, sive liberi, sive annati, sive primogeniti, sive proximi, &c. Semper accipi de Personis habilibus & capacibus §. *in extraneis institut. de hæred. qual. & differ. l. si alienum ff. de acquirenda vel omittenda.* Quibus consequens est, consuetudinem admittentem Devolutionem ac præferentem liberos primi thori, liberis secundi thori, necessariò arctandam esse ad tales liberos primi thori, qui succedendi capaces sint, neutiquam verò comprehendere inhabiles succedendi. Atqui indubitatum est 3.
filias Ducum Brabantiæ à principio conditæ hujus potestatis semper incapaces esse habitas successionis ejusdem, sive liberi masculi extarent, sive non. Quod jus consentaneum erat tum originali feudorum naturæ, uti est *text. in cap. primo §. quia vidimus vers. hoc autem notandum tit. de his qui feuda dare possint.*

Rosenthal de feud. cap. 7. conclus. 31. Tum moribus Germaniæ ubi fœminæ à possessione feudalium prædiorum arceantur, inquit Bodin. de Rep. lib. 2.
4. cap. 3. cui hæc Ducalis dignitas accepta fertur. Donec tandem anno 1204. per specialem constitutionem Philippi Regis Romanorum hoc temperamentum adhibitum est, ut nullis extantibus hæredibus masculis filiæ ad successionem admittantur sicuti masculi, his verbis. *Insuper Regiâ authoritate nostrâ statuimus, & memorato Duci concedimus, ut filiæ suæ si masculum hæredem non habuerit, in feudis suis liberè & tanquam masculi succedant.* Quibus ex verbis conficitur filias ad illum usque diem funditùs incapaces successionis fuisse, ac deinde illo solo casu capaces esse redditas, cùm nulli filii
5. masculi extabunt. A quo vetusto jure tantùm abest ut posterioribus sæculis recessum sit, ut è contrario postulante occasione publicè repetitum, & inculcatum fuerit, uti superiore capite vidimus in Historia Regis Bohemi, cujus conatus eodem fundamento tunc elisus est, ac deinde priore sæculo solemniter confirmatum sit pragmaticâ sanctione Caroli Quinti Imperatoris, qui anno 1549. non tantùm de Brabantia, sed etiam *de cæteris omnibus inferioris Germaniæ Provinciis hæreditariis* constituit in hunc modum. *Authoritate nostrâ & de plenitu-*

dine

dine potestatis decernimus & declaramus hoc nostro Cæsareo edicto perpetuo quod in nostro Ducatu Geldriæ, & Zutphaniæ Comitatu, uti in cæteris aliis Provinciis nostris patrimonialibus, & hæreditariis deinceps omni, & quocumque tempore fœminæ non extantibus masculis hæredibus succedere possint, & debeant, &c.

Nulla hic distinctio aut respectus primarum vel secundarum Nuptiarum, sed unica & præcisa conditio filiarum successioni præscribitur, *si masculi liberi nulli extabunt.* Quibus proinde extantibus cum incapacitas pristina reviviscat, atque ea ab omni successione filias submoveat, manifestum est, easdem privilegio prælationis, & exclusionis respectu liberorum secundi thori gaudere non posse.

In privatorum feudorum successione non eodem 6.
modo se res habet, nam est quidem etiam ibi verum liberos primi thori, si inhabiles sint ad succedendum, non excludere secundi thori liberos, sed talis inhabilitas filiabus respectu feudorum privatorum Brabantiæ non adhæret, nam etiam cum filius masculus parenti suo superstes est, filia masculi Soror in partem feudi unâ cum eo admittitur, & emolumentorum trientem occupat, ut constitutum est per leges feudales Brabantiæ Articulo 21. Evidenti argumento filias nec masculis extantibus

suc-

7. successionis feudalis incapaces esse. Itaut invalidum sit argumentum quo à privatorum successione ad publicam ratiocinatio instituatur.

Satis singularitatis habet quod soboles primi Matrimonii sola occupet paterna bona exclusis liberis
8. secundi thori. Magis etiam singulare est, quòd ut filiabus indulgeatur respectu filiorum quorum solet in succedendo potior esse ratio. Maximè vero singulare est quod id in feudis admissum sit quæ ex primæva natura, & institutione fœminas aspernantur. Atque adeo tam exorbitans, & abnorme jus relegandum videtur in eam classem de quâ definitur in lege 39. ff. de legibus. *Quod non ratione introductum, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet.* Quod si non obtinet in similibus, multò minùs in dissimilibus, aut majoribus usurpari potest: majus verò est fœminam admoveri gubernaculis Reip. quam admitti ad privatam feudalium Prædiorum successionem, & possessionem, quam speciosis argumentis pragmaticorum natio tueri solet, præsertim petitis ex moribus, quibus circa feuda in Belgio utimur, secundùm quos feuda omnia ad instar Patrimonialium redacta sunt, & fœminæ plerisque in causis masculis exæquantur, quæ duo axiomata quasi duæ κύριαι δόξαι seu prædominantes sententiæ in libris non tantum Gallo-

Gallorum, ſed etiam noſtratium Juriſconſultorum decantatiſſimæ ſunt, quæ videre eſt apud Gudelin. de feudis. Zypæum in notitia Juris Belgici. Chriſtin. &c.

Quæ fundamenta cùm ſucceſſioni Ducatûs applicari nequeant, manifeſtum eſt vitioſam eſſe collectionem à feudis ad ſupremas dignitates, quas diverſo jure regi non tantùm Arnilæus loco ſupra dicto, ſed & P. Gudelin. J. C. Belga eleganter docet in Tractatu de feudis, part. 3. cap. 2. n. 15. ubi cùm egiſſet de ordine communi ſucceſſionis feudalis, addit, *Non ſemper viſum eſt ſupraſcriptam regulam ſervari oportere in Regnis & Principatibus ſupremis, quia non Regi primo, ejuſque providentiæ, ſicut feuda pacto primi Vaſalli accepta Regna feruntur, ſed Deo, ac poſt Deum populo, tacitæve ejus electioni: cùm ſucceſsio Regni ex conſenſu populi olim ordinata, nihil aliud quam continuata & perpetua quædam electio ſit; juris enim gentium eſſe Regna L. ex hoc jure. D. de juſtitia & jure; ideòque magis hoc jure quàm legibus, quæ ſubditis ſubditorumque rebus latæ ſunt, ſucceſsionem eorum æſtimandam eſſe, ubi certa forma ejus deferendæ præſcripta non eſt: more autem gentium hoc eſſe receptum, ut bona omnia ad proximum deferantur, ac Regna potius ultimi cujuſque poſſeſſoris, quàm eorum à quibus longa ſucceſsione quondam profecta ſunt videri.* Hactenus memoratus Author,

thor, qui posteà *Cap. sequenti n. 6. de fœminarum successione* in hunc modum scribit. *Illud sciendum quoties pacto expresso, aut consuetudine vel alia ratione fœminæ feudi reperiuntur capaces, hunc ordinem servari ut mares præferantur; & ut tum demum succedant fœminæ, cùm masculi non extant lib. 1. feud. tit. 6. & tit. 8. §. Filia verò. v. g. Filius Filiam excludet, Frater Sororem, Nepos Neptem, de quo nulla dubitatio quando in eadem fibra existunt.*

Sed superfluum est ad generales regulas & axiomata recurrere, quando tot decretoria, & in hanc ipsam speciem directa argumenta suppetunt, inter quæ eminent sequentia.

Primò usus memoriam hominum excedens quo ante annum 1204. Filiæ Ducum Brabantiæ omnis feudalis successionis incapaces habebantur, sive masculi extarent sive non.

Secundò privilegium Philippi Regis Romanorum dicti anni 1204. moderatorium tam generalis incapacitatis, ideoque habilitans filias ad succedendum in eum casum quo masculi hæredes nulli extarent.

Tertiò responsum publicum Cancellarii Brabantiæ Joanni Regi Bohemiæ datum anno 1326. quo eundem Regem à Brabantiæ successione repulit, hoc addito superdicto, nullum jus competere fœminis in Brabantia, quamdiu masculus aliquis extaret.

Quar-

Quartò Pragmatica Sanctio Caroli quinti Imperatoris quo anno 1549. constituit fœminas ita demùm admitti ad successionem Principatuum Belgii, quo masculi nulli superessent.

Quintò Donatio nuptialis Belgicarum ditionum à Philippo II. collata in Isabellam Filiam Hispaniæ Infantem, cùm primæ nuptiæ ejusdem Philippi jam essent solutæ, idq́; nemine refragante aut obloquente.

Hæc argumenta aliaque ejusdem evidentiæ in præcedentibus sparsa, nulla responsione diluere aut attingere, sed nudo silentio præterire, aut circa quædam eandem cantilenam perpetuò iterare, vel parerga & inutilia affectare, non aliud est quam convictum se confiteri, & herbam porrigere. Paucis libet rem illustrare. In priori editione fol. 127. candidè concessum fuerat renunciationes Successionum hæreditariarum jure Romano improbari, idque pluribus argumentis stabilitum præteriri potuerat tanquam res confessa, sed noluit Author Reginæ Advocatus, tam copiosam materiam differendi sibi eripi, & tempestatem in simpulo excitare maluit, quam Librum suum mole ista minui. Adjectum fuit fol. 129. moribus Galliæ & plerarumque Nationum hodie aliud circa easdem renunciationes observari, productis etiam Authoribus Gallis non proletariæ authoritatis, ad quem scopulum delatus, idem Advocatus prorsus obmu-

tuit

tuit, tanquam Rana ad Seriphum delata.

Quare optimum erit hoc genus Rhetorum, qui fictis fabulis sibi rem struunt, & popello imponunt, contemptu omittere, eosque sinere, quod olim fecerunt, scilicet,

Et veterem in limo Ranæ cecinêre quærelam.

Per Ranas & Buphones olim designatos fuisse Francos Author est Claud. Franchetus, aliique veteres Authores. FINIS.

SUMMA PRIVILEGII.

CAROLI II. Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, ac potentissimi Belgarum & Burgundionum Principis, diplomate cautum est, ne quis præter Francisci Foppens Typographi voluntatem, librum, cui titulus: *Tractatus de Jure Devolutionis*, Auctore Clarissimo ac Amplissimo Viro D. PETRO STOCKMANS J. V. D. proximo novennio ullo modo imprimat, recudat, aut alibi terrarum impressum, aut recusum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, distrahat, venalemve habeat: Qui secus faxit, confiscatione librorum, & insuper aliâ gravi pœnâ multabitur, uti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ 3. Novembris 1666.

Signat. LOYENS.

APPROBATIO.

Tractatus hic de Jure Devolutionis, *Auctore Clarissimo & Amplissimo Viro* D. PETRO STOCKMANS J. V. D. Doctore, &c. *nihil continens adversarium Orthodoxæ fidei vel probis moribus, variis doctrinæ variæ floribus quaquaversum genuinè inspersus, &* Devolutionis *materiam breviter, clarè tamen & solidè enucleans, publicè privatimque futurus est utilis, præsertim iis qui in foro versantur. Unde jure merito typis evulgabitur. Ita censeo in Urbe Bruxella, die* 29. *Octobris anno Domini* 1666.

AMATUS CORIACHE Archidiac. Mechl. Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Vicarius Generalis.

PARS SECUNDA
TRACTATUS
DE JURE
DEVOLUTIONIS

In qua exploduntur Obſervationes

QUIBUS EUNDEM TRACTATUM

Maculare conatus eſt ANONYMUS.

Ubi multæ inſignes hallucinationes, & non pauca falcificata circa ſubſtantialia deteguntur & refelluntur.

AUTHORE CLARIS. AC AMPLIS. VIRO

D. PETRO STOCKMANS, J. U. D.

Olim in Academia Lovanienſi Legum Profeſſore, nuper in Supremo Brabantiæ Concilio, nunc in Sanctiore, Conſiliario Regio, & Libellorum ſupplicum Magiſtro.

Archivorum Brabanticorum Cuſtode, Juſtitiæ Militaris Supremo Præfecto, nec non ad Comitia Imperialia titulo Circuli Burgundici Ablegato.



BRUXELLIS,

Apud FRANCISCUM FOPPENS, ſub ſigno S. Spiritus.

Cum Privilegio. 1668.

INCOMPARABILI

HEROI

D. FRANCISCO DE MOURA,

CORTE-REAL,

EMANUELIS

GUBERNATORIS QUONDAM BELGII FILIO,

CELEBERRIMI

CHRISTOPHORI NEPOTI,

CUI LUSITANICI REGNI CUM CASTELLANO

CONJUNCTIO

JURE MERITO A PHILIPPO II. REGE

SÆPIUS ADSCRIPTA EST.

MARCHIONI

CASTELLI-RODRICI,

COMITI DE LUMIARES,

ORDINIS D. N. JESV-CHRISTI,

COMMENDATORI MAJORI,

Domino Terræ novæ, aliorumque locorum non uno titulo Dynastæ, Insulæ Terceræ inter Azores sive Flandricas primariæ, S. Georgii, Fayal, & Pico,

GUBERNATORI ET CAPITANEO GENERALI HÆREDITARIO,

REGIS CATHOLICI

IN SUPREMO MONARCHIÆ SENATU CONSILIARIO,

Nec non ad novum Tractatum Pacis inter duas Coronas ex parte ejusdem

PLENIPOTENTIARIO DESIGNATO.



EXCELLENTISSIME DOMINE,

Non potuit sub nobiliore patrocinio quàm Nominis Tui in lucem exire hæc secunda Pars *Tractatûs de Iure Devolutionis*, cui & prior oblata fuit: agitur enim de avito Regis Pupilli

patri-

patrimonio, ac dignitate tuenda, cui jam pridem omnes Cogitationes Tuæ & Studia deſerviunt, uti lucidiſſima documenta Pace & Bello à Te edita quotidiè teſtatum faciunt. Eximias Virtutes Tuas ſic moderaris, ut nec extollaris proſperis, nec deprimaris adverſis. Bello Gallico implicatus Conſiliis Tuis egregiè pro ſtatu temporis rem tueris, quod majore cum apparatu & ſucceſſu propitio Numine facturus fueras, niſi Gallici Legati ſacra omnia obteſtantes ſecuros nos eſſe juſſiſſent ab omni invaſione, & Bellum ſine ulla clarigatione præcipitatum fuiſſet; in quo Fortitudo Tua non deſi=

deraretur, nisi de numero eorum fores, quibus corpus infirmum, animus sapientiâ validus. Fortuna cujus cursus transversum impetum effugere multi voluerunt, pauci potuerunt, exercere etiam Constantiam tuam voluit, & nocumentum aliquod à Bello isto sentire, sed, ut speramus, non diuturnum: nam

— Multos alterna revisens
Lusit & in solio rursùm fortuna locavit.

De fortuna verò Galliæ blandiente expectabimus brevi verum fore illud veteris Authoris.

Inest rebus cunctis quidam velut orbis, ut deorsum celeriùs quidem quàm ascenderant relabantur.

labantur. Tibi verò Vir Excellentiſſime fœlicitatem omnem animitus precatus, maneo dum vivo

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

Obſtrictiſſimus & humillimus famulus

PETRUS STOCKMANS.

APPRO-

APPROBATIO.

S*Ecunda Pars* Tractatus de Jure Devolutionis, *Auctore Amplissimo Viro Domino* PETRO STOCKMANS J. V. Doctore, &c. *suum cuique tribuens, & pupilli Regis nostri avitas Provincias à calamorum & armorum insolentiis vindicans, justé dabitur in publicam lucem; etiam ut erudiantur veritatem qui judicant terram. Actum Mechliniæ decimasexta Decembris anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo.*

A. CORIACHE, Vicarius Generalis
Sedis Archiëpiscopalis vacantis.

SUMMA PRIVILEGII.


CAROLI II. Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, ac potentissimi Belgarum & Burgundionum Principis, diplomate cautum est, ne quis præter Francisci Foppens Typographi voluntatem, librum, cui titulus: *Tractatus de Jure Devolutionis*, Auctore Clarissimo ac Amplissimo Viro D. PETRO STOCKMANS J. V. D. proximo novennio ullo modo imprimat, recudat, aut alibi terrarum impressum, aut recusum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, distrahat, venalémve habeat: Qui secus faxit, confiscatione librorum, & insuper aliâ gravi pœnâ multabitur, uti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ 3. Novembris 1666.

Signat

LOYENS.

PROOE-

PROOEMIVM.



N admirationem rapit universum orbem, videre Regnum tam potens, firmum atque unitum, sub Principe omni fœlicitate divinitùs cumulato, adhuc de proferendis finibus cogitare: acceptâ occasione tùm ex Pupilli Regis tenera ac infirma ætate, tùm ex administratione Reginæ Viduæ Pupilli Matris: sub prætextu verò juris cujusdam ab Adulatoribus Aulicis suggesto, quod Devolutionem *vocant, antehàc vicinis Nationibus incognitam, & nunquam circa Supremos Belgii Principatus usurpatam.*

Res primùm sermonibus Aulicorum circumferri, à populo deindè avidè arripi, apud cœtus hominum disputari & agitari, ac postremò editis libellis omni ordini hominum innotescere. Omnia tarda, languida

& umbratica haberi, & conceptæ aviditati non satis respondere.

Itaque bellum inexpectatum, horridum & truculentum in nos effusum est, nullâ præmissâ clarigatione aut denunciatione quam jus gentium præscribit.

Sacræ litteræ monent, orphanos & viduas suscipere, tueri ac defendere: Jura omnia clamant proprium esse Regum officium, patrocinium pupillis præbere adversùs violentiam Potentiorum. Reclamant Ministri Regis Christianissimi posse etiam contra pupillum causam justam suscipi, sustineri ac defendi, atque armis agi si remedia alia deficiant. Videamus igitur quid hac de re dictent sacræ litteræ.

Beatus Job cap. 31. *v.* 21. *inter opera sua justa apud Deum commemorat*, Si levavi super pupillum manum, etiam cùm viderem me in porta superiorem. *Quod interpretans Gregorius Magnus lib.*

21. *mo=*

21. *moral. cap.* 14. *in hunc modum nos monet.* In porta ſe ſuperiorem videt, *inquit*, qui ſe melioris partis eſſe in judicio æquitatis conſpicit. Beatus igitur Job quia nec tunc contra pupillum manum exercuit, cùm ſe etiam per juſtitiæ meritum potentiorem vidit, nobis timoris regulam inſinuans dicit: Si levavi ſuper pupillum, *&c.* Ac ſi patienter dicat, neque tunc utilitatis meæ negotia virtute contra pupillum exequi volui, quando me in judicio etiam ex juſtitia potiorem vidi.

Ex quibus apparet quid ſtatuendum ſit de violenta pupilli invaſione & ſpoliatione, ex cauſa inani & umbratica, cùm officium humanitatis dictet, nec lite pulſari poſſe pupillum ex cauſa etiam legitima & juſta.

Erubeſcant Chriſtiani Principes ad exemplum quod exhibet Eccleſiaſtica Hiſtoria

ad annum post Christum natum 408. quod è re erit ipsis verbis Theophanis repræsentare.

Archadius undecimo kalendas Septembriles lethum oppetiit. Theodosium autem juniorem nondum infantiam supergressum, ac penè cunctis auxiliis orbum pater Archadius conspicatus, insidiasque, si fortè renunciaret Imperatorem, ne pateretur metuens, Curatorem ejus Isdegerdem Persarum Regem testamenti tabulis instituit. Isdegerdes Persarum Princeps accepto testamento, longam & tranquillam pacem cum Romanis habuit, & Theodosio salvum & incolume jussit esse Imperium: mox Antiocho viro moribus egregio, & eximiæ eruditionis in pueri Procuratorem & Pædagogum summisso, Romano Senatui in hæc verba rescripsit. ,, Archadio fatis

,, su=

„ ſublato, & me conſiliis ejus in filii „ Curatorem inſtituto, virum qui vi= „ cem meam impleat, miſi: nullus „ igitur puero ſtruat inſidias, ne bel= „ lum adversùs Romanos innovet ir= „ reconciliabile. Adveniens Antio= chus Imperatoris Comitem ubique ſe præbebat. Is verò ab Honorio pa= truo, & à ſorore Pulcheria Chriſtia- nis inſtitutis probè & ſolerter erudi- tus eſt: Paxque diu inter Romanos traducta, Antiocho maximè plura pro Chriſtianis ſcribente: atque ita Chriſtiana Lex per totam Perſidem dilatata fuit.

Ecce quomodo Rex Barbarus & Infide= lis pupillo tutelæ ſuæ commiſſo fidem ſerva= vit, & defenſionem adversùs inſidiatores præbuit, ubi nunc videmus pupillum ip= sâ neceſſitudine ſanguinis commendatum, avito Patrimonio depelli vi armatâ, &

 loco

loco Pacis quam Rex Barbarus orphano ſuo procurarat, fidem omnem Pace datam pupillo abrumpi, ſolvi, reſcindi. Barbarus pacem & tranquillitatem Chriſtiano orbi intulit & cuſtodivit, nunc Bellum in univerſam Europam effundi conſpicimus.

Non abſimilem pietatem qualem Perſa exhibuit, extollit S. Auguſtinus in Theodoſio ſeniore erga Gratianum & Valentinianum ſecundum, Valentiniani primi pupillos in Lib. 5. de Civitate Dei cap. 26. *in hunc modum.*

Gratianus autem à Theodoſio vindicatus eſt: quem Regni participem fecerat, quum parvulum haberet & fratrem: avidior fidæ ſocietatis, quàm nimiæ poteſtatis. Undè & ille non ſolùm vivo ſervavit quam debebat fidem, verùm etiam poſt ejus mortem pulſum ab ejus interfectore Maximo, Valentinianum ejus

par-

parvulum Fratrem, in ſui partes Imperii tanquam Chriſtianus excepit: pupillum paterno cuſtodivit affectu, quem deſtitutum omnibus opibus nullo negotio poſſet auferre, ſi latiùs regnandi cupiditate magis, quàm benefaciendi charitate flagraret. Undè potiùs eum ſervatâ ejus Imperatoriâ dignitate ſuſceptum, ipsâ humanitate & gratiâ conſolatus eſt.

Facilitas ſpoliandi pupillum non movit Theodoſium Auguſtum charitate Chriſtianâ flagrantem, movit verò Miniſtros Galliæ poſthabitâ omni charitate Chriſtianâ in atrox Bellum, & Pacem excuſſit univerſo orbi.

Id ne fieret ſine ulla figura juris, quæſitus eſt color Devolutionis, ſubornatis duobus Scriptoribus, qui lucem metuentes adhuc poſt ſiparium latent, adornatâ foris ſcenâ,

quo-

quorum prior jura Reginæ Christianissimæ tutari se velle profitetur, de cujus opere verissimè dici posse videtur illud Poëtæ.

Pergula pictorum est, veri nihil, omnia ficta.

Adeò scatent omnia Rhetoricis pigmentis, fuco & coloribus.

Alter quasdam Observationes in Tractatum de Jure Devolutionis in orbem protrusit, quæ cujus momenti sint, hæc Secunda Pars, quæ nunc in lucem mittitur, abundè dicet.

Illud verò non tam admirandum, quàm lachrymis deplorandum est, repertos fuisse Consiliarios qui adulatione exitiosâ Regem Christianissimum ad Bellum hoc suscipiendum commoverint, quibus proindè, tota hæc flamma Belli adscribenda est. Libet exclamare cum Romano Sapiente.

Monstrabo tibi cujus rei inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possi-

poſſidentibus deſit, ſcilicet ille qui verum dicat. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas & fides in obſequium ſervile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorum omnium officium, una contentio quis blandiſſimè fallat?

Pudorem rurſum Chriſtianorum provocet exemplum ex media Gentilitate hauſtum.

Baſſianus occiſo fratre mandaverat Papiniano Præfecto Prætorio ut & in Senatu pro ſe & apud populum facinus dilueret, reſpondit ille: Non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quàm fieri. *Ac ſic detrectans parere juſſis, pro veritate ſecuri percuſſus eſt.*

Etiam ſpecies quædam parricidii eſt Pupillum tam conjunctum ſanguine & affini-

tate fide ruptâ armis impetere, eique patrimonium ac dignitatem suam extorquere; cùm dignitas & Regius honor meritò vitæ æquiparentur, atque ut Cicero pro Roscio Comœdo: Æquè perfidiosum & nefarium sit, fidem frangere, quæ continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit.

Non est verò tanta temporum nostrorum fœlicitas ut similia constantiæ exempla expectare possimus à Christianis, quando primæ notæ Consiliarii Bellum, quòd non procul à parricidio abesse censeri potest, ex causa tam injusta Regi suo suadere non verentur.

Omnia hæc una hac defensione velle eluere, & mundo persuadere non esse illatum bellum, sed vindicari dumtaxat rem propriam, seu ut verbis utar Authoris, qui Iura Reginæ Christianissimæ defendenda suscepit. Non Regem potentissimum

armis

armis Populum debellare, ſed id tantum poſtulare ut ſubditi ſibi pareant jure ſanguinis & hæreditario juſtè & legitimè imperanti. *Tantumdem eſt ac ſi neget aliquis litem ſe velle movere qui de actione ſua Prætorem adiit, formulam obtinuit, diem adverſario dixit, & manum in jure conſeruit. Non obtuſa adeo geſtamus pectora Belgæ ut patiamur nobis tam pueriliter illudi: nec vicinæ nobis Nationes Vervecum in Patria craſſoque ſub aëre natæ ſunt, ut non intelligant hos ludos. Præſtigiæ iſtæ facilè patent, tota res palam eſt.*

Claudat hoc Procœmium pars Epiſtolæ CCXXI. Divi Bernardi ad Ludovicum Juniorem ejus nominis VII. Regem Francorum. Vos, ut manifeſtum eſt, à bono & ſano conſilio quod acceperatis (*id eſt à Pace paulò antè initâ cum Theobaldo Comite*) nimium ci-

tò, nimiumq́ue leviter reſilitis, & ad mala priora, rursùm, ut audio, neſcio quo diabolico conſilio feſtinatis: A quo enim niſi à diabolo procedere hoc conſilium dixerim, per quod fit, ut incendiis incendia, homicidiis homicidiâ addantur: clamor denuò pauperum & gemitus compeditorum, & ſanguis interfectorum auribus pertonent Patris orphanorum, & Judicis viduarum? planè his hoſtiis hoſtis ille antiquus noſtri generis oblectatur, quoniam ipſe homicida eſt ab initio; *Et paulò poſt*; Verùm vos nec verba Pacis recipitis, nec pacta veſtra tenetis, nec ſanis conſiliis acquieſcitis, ſed neſcio quo Dei Judicio omnia vobis ita vertitis in perverſum, ut probra honorem, honorem probra ducatis.

INDEX CAPITUM
ET
SUMMARIORUM.

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIUM.

Sycophantiæ & calumniæ quædam Observatoris retunduntur.

CAPUT II.

De Authoritate & intellectu Constitutionis Cæsareæ Philippi. Anni 1204.

SUMMARIUM.

1. *Argumenta quibus dicta constitutio Philippi ab Authore observationum impugnatur.*
2. *Responsio ad primum de Authoritate Philippi Imperatoris Authoris constitutionis Anni 1204.*
3. *De successione Beggæ Pipini Landensis Filiæ in Ducatum Brabantiæ.*
4. *Neque sub Romanis, neque sub primis Francis ullos fuisse Ducatus aut Comitatus stabiles ac perpetuos, neque Pipinum fuisse Ducem Brabantiæ.*
5. *Testimonium Hadriani Valesii & aliorum Authorum de eadem re.*

CAPUT III.

Complectens septem Argumenta irrefragabilia ad destruendam Devolutionem Ducatûs.

SUMMARIUM.

CAPITUM.

C A-

CAPUT IV.

Continens ferraginem reliquarum ineptiarum nullo ordine per librum ſparſarum.

SUMMARIUM.

1. *Objectio Obſervatoris malè à me propè ſolo ſuſtineri proprietatem bonorum devolutorum manere apud parentem ſuperſtitem.*
2. *Reſponſio ad eandem objectionem quâ occaſione narratur iterum res geſta de lite quadam Curiæ Clientelaris.*
3. *Reſponſio ad authoritatem Kintſchotii & Chriſtinæi, ab Obſervatore objectam.*
4. *Tres novæ difficultates motæ ab Obſervatore circa Renunciationem Reginæ Chriſtianiſſimæ, prima & ſecunda quomodo legibus locum demus in rejiciendo Areſta quædam Gallica allata à Loüet, & non demus locum legibus in materia Renunciationum, tertia quomodo approbemus Renunciationem Devolutionis per quam jus quæſitum eſt liberis.*
5. *Reſponſio ad duo priora.*
6. *Reſponſio ad tertium.*
7. *Novum Argumentum pro validitate Renunciationis Reginæ Chriſtianiſſimæ, ſumptum ab inſtrumento renunciatorio Margaretæ Auſtriacæ & Burgundicæ.*
8. *Quiſquiliæ quædam everruntur.*

dis ipsa Filiam Philippo Longo Regis Filio despondisset. Quæ postrema verba quia causæ suæ adversari videbat, penitus omisit Observator, contentus eam partem retulisse, quæ ei favebat.

Paris ponderis est alterum Senatus-Consultum de Ducatu Britanniæ factum secundùm jus repræsentationis : cùm enim circa istam successionem nulla probaretur consuetudo exclusiva repræsentationis, secundùm jus commune judicari debuit, nec opus fuit recurrere ad consuetudinem communem populi, vel ad feuda servientia, quod tunc demum fit quando feudum dominans nullo certo jure regitur. Quibus junge quod *Chopinus* scribit de eodem Ducatu *Lib. de Domanio Galliæ tit. 3. n. 6.* Itemque quæ nos de Ducatus Britanniæ successione suprà retulimus. *Cap. 3. n. 20.*

Vidimus etiam censuram Observatoris circa vocabula quædam linguæ nostræ vernaculæ, ac nominatim circa verbum *Erstocht*, aliaque affinia, & admirati sumus tantam peritiam idiomatis nostri in homine Gallo, qui contemptis linguis exoticis solet contentus esse linguâ maternâ, nostrâ non parum elegantiore, de qua dici potest illud Ausonii.

Æmula quam Latiæ decorat facundia linguæ.

Quæ concertatio ne in prolixiorem λογομαχίαμ abeat,

beat, breviter dicimus postquam proprietatem apud parentem superstitem manere stabilivimus, æquum fuisse vocabula, eorumque versionem & interpretationem rebus ipsis aptari, atque ita vocem *Erftocht* exponi, sic ut *usus fructus proprietarius* sit *usus-fructus fundi nostri proprii*, quem Authores juris *usumfructum causalem* vocant: & vocabulum *Erftochtenaer* pro *usufructuario rei propriæ*; nam non video quomodo rectè ea vocabula interpretemur per *hæreditarium*, cùm nullam ibi sit reperire hæreditatem, nec in liberis Devolutariis, nec in parente superstite. Recurri etiam ad etymologicum Adriani Kiliani linguæ nostræ vernaculæ admodum curiosi, qui vocabulum *Erftochtenaer* duobus modis explicat, scilicet per *usufructuarium hæreditarium*, & per *usufructuarium fundi proprii*: quod postremum cùm materiæ consentaneum & veritati magis consonum sit, præferendum priori censemus, ac grammaticari desinimus, ne quis exclamet *mira de lente*!

Cætera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
Delassare valent Fabium.
— *Si quis est, qui dictum in se inclementius*
Existimat esse, sic existimet: sciat
Responsum, non dictum esse, quia læsit priùs.

F I N I S.

Jerem. 7. 8.

CONFIDITIS VOBIS IN SERMONIBUS MENDACII, QVI NON PRODERUNT VOBIS.

005265087